



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>


---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.


Google™ books

<https://books.google.com>





Dip. 259.



IURE NATURÆ  
IN GENERE SPECTATO  
**DISSERTATIO,**  
Quam  
CUM POSITIONIBUS THEOLOGICIS  
IN ECCLESIA MÜLLNENSI SALISBURGI  
*tempore*  
CAPITULI PROUINCIALIS,  
*P R A E S I D E*

**P. ALYPIO  
GARTNER,**

ORD. EREM. S. P. AUGUSTINI  
SS. Theologiae Lectore ordinario  
*DEFENDENT*  
Rev. P. BARTHOLOMAEUS KOFLER.

&  
Rel. Fr. CHRISTIANUS MAIR,  
eiusdem ordinis, & SS. Theologiae in  
tertium annum Auditores

Die 29 Aprilis anni MDCCCLXXVI.  
Horis ante, & postmeridianis.

**CUM PERMISSU SUPERIORUM.**

\*\*\*\*\*

**S A L I S B U R G I,**

Typis Francisci Prodinger, Statuum Prouincialium,  
& Vrbis Metropol. Typograph.

Bayerische  
Staatsbibliothek  
München

Digitized by Google

# CONSPECTUS OPUSCULI.

## SECTIO PRIMA,

DE

### Existentia iuris naturae.

#### §. I.

**Q**uid sit ius naturae? §. II. De antiquis Philosophis, ius naturae negantibus. §. III. De modernis Libertinis, naturalem legem repudiantibus. §. IV. De consensu populorum, ius naturae conprobantium, §. V. SS. Ecclesiae Patres a criminationibus Libertinorum vindicandi sunt. §. VI. Existentialia legis naturalis ex eius possibiliitate, & congruentia probatur. §. VII. Legis naturalis existentialia est necessaria. §. VIII. Ex ipsa natura hominis legem dari naturalem evincitur. §. IX. Ex vita sociali, ad quam homo natura sua ordinatur, legem hanc existere eruitur. §. X. Lex naturalis nec sceleratissimis potest ignota esse. §. XI. Libertinorum sophismata diluuntur.

## SECTIO SECUNDA.

DE

### Principiis iuris naturae apud Libertinos.

§. I. Principium Epicuri, eiusque enormitas.  
§. II. Principia Carneadis relictum.  
§. III. Principia Hobbesiana.  
§. IV. Horum principiorum falsitas detegitur.  
§. V. Spinozae ius naturae evertitur.  
§. VI. Heluetii ius naturae examinatur.

SEC;

## SECTIO TERTIA.

DE

Erroneis quorumdam aliorum iuris  
naturae principiis.

§. I. De principio iuris naturae in voluntate  
Dei, aut conuenientia cum sanctitate diuina con-  
stituto. §. II. De principio iuris naturae ex so-  
cialitate humana deriuato. §. III. De systemate  
perfectibilitatis humanae Wolfiano, & conserua-  
tionis naturae rationalis Wernheriano. §. IV. De  
principio a Christiano Thomasio propugnato.

## SECTIO QUARTA.

DE

Genuino iuris naturae principio, & pro-  
rietatibus legis naturalis.

§. I. Primum iuris naturae principium in ordi-  
ne naturali habetur. §. II. Lex naturalis aeterna  
est, & a consilio distinguenda. §. III. Lex natu-  
rae vniuersim omnes obligat. §. IV. Est etiam im-  
mutabilis.

## SECTIO QUINTA.

DE

Sanctione legis naturalis.

§. I. De sanctione legis naturae pro vita pree-  
senti. §. II. Praedicta legis sanctio vera, minus  
tamen perfecta est. §. III. Perfectissima datur san-  
ctio pro vita futura. §. IV. Soluuntur Libertino-  
rum sophismata.

I. O. G. D.



# SECTIO PRIMA

DE

## EXISTENTIA JURIS NATURAE.

### §. I.

#### Quid sit Jus Naturae?



##### I.

Jus ab *iussu* celeberrimi scrip-  
tores deriuatum esse volunt,  
cui etymologiae insistentes,  
ac missis aliis, quas vel gram-  
matici norunt, *vocabuli* significationibus, nos  
vnice *ius* pro *Lege* in praesenti accipimus.

A

II. Na-

II. Natura passim dicitur *rerum omnium ordo, quo cuncta oriuntur, mouentur, ac intereunt,* isque cum ex parte Dei, tanquam naturae conditoris, tum ex parte creaturarum, quatenus nulla sit, quae non ad certum aliquem finem producta fuit, spectari meretur. Ita stoici apud Lactantium. (a) *Vno naturae nomine duas res diuersissimas comprebenderunt, Deum, & Mundum, Artificem, & opus.* Inde pariter dicere solemus: *Natura naturans, Deum, & natura naturata,* creaturas simul omnes significantes.

III. Rerum ordinem, singulis entibus ita a mundi Opifice constitutum, ipsum *ius naturae* aliquibus adpellare placuit. nihilque aliud ex ipsorum sententia per id intelligi datur, quam norma quaedam a Deo praefixa, secundum quam omnis creaturarum *actio, motus, & proprietas* est exferenda.

IV. Nimis vero lata est haec iuris naturalis delineatio, & ad scopum nostrum frustranea, quum nequaquam de natura rerum *physica*; sed *moralis*: nec de totius vniuersi serie; sed de creaturis ratione, ac libertate praeditis dissertatio se nostra teneat.

V. Ex

(a) L. VII. diuin. instit. c. 3.

V. Ex veteribus proinde nonnulli *ius naturale* nominauerunt, quod *natura omnia animalia docuit*; (b) Nam ius istud non humani tantum generis proprium, sed omnium animantium commune esse autemabat, ut propterea, si ipsis fides habenda esset, homines ipsi cum brutis certo veluti foedere coniungerentur, ac illud iure naturae praescriptum foret, ad quod homines simul, ac bruta ingenito quodam nisu feruntur.

VI. Pythagoricorum, stoicorumque placitis hanc doctrinam ad finem esse, arbitrari quis posset, quorum priores metempychosin propugnarunt; reliqui vero brutorum animas rationales, humanisque similes, aut certe vna omnes ex eadem vniuersi mente decerptas esse crediderunt. Ceterum, quam falsum sit praesens systema, vel ex eo palam fit, quod vtique bruta rationis sint expertia, adeoque nec lege, nec foedere, aut communionis vinculo cum hominibus sociari valeant; quamuis enim etiam in bestiis nonnulla deprehendantur, quae humanarum actionum honestatem aemulari videantur; ex eodem tamen principio minime dimananter, sed

**ex corpore a solum sentiendi vi, & mirabili organorum structura, quam a sapientissimo naturae conditore receperunt.**

VII. Exinde adparet, ius naturae ad solam creaturam rationalem, & ad hominem potissimum ( de supernis quippe spiritibus sermo nobis non est ) extendi debere, & illud quid sit, vterius inuestigandum.

VIII. Dixerunt quidam, esse id, *quod ratio naturalis, aut nationum omnium consensus inter homines constituit.* Verum tam ratio nostra, quam consensus humanus est iure naturae longe posterior ; honestum namque vel maxime est, quod ratio naturalis, aut hominum consensus vnanimiter bonum esse, iudicat : sed non ideo honestum, iurisque naturalis censeri debet, quod a ratione, consensuue popolorum sit adprobatum, sed propterea potius ratio aliquid suadet, & populi adprobare videntur, quia ex se bonum, ac iure naturae , ceu lege aliqua praecedente est praeceptum.

IX. Altior est igitur juris naturalis origo perqurenda, & ea absque dubio in ipso Deo, qui naturam humanam ex nihilo eduxit, & ad finem suum

ſuum adcommodauit. Vt vero genuinam exhibeamus notionem, ſequentia de *Deo*, & *bono* praemittenda eſſe, censemus.

imo. Deum exiſtere, quod ſola Atheorum impietas negare audet, res eſt adeo clara, & euidentis, vt cuius, vel mediocriter ratione vten-  
ti, per ſeſe innotefcat.

2do. Eidem Deo conuenit summa *bonitas*, qua hominem nonniſi ad finem bonum, & ex quo beatus eſſe poſſit, deſtinauit: congruit *ſapientia* infinita, per quam media proſpicit, qui-  
bus finem adpetere, & obtinere valeamus: ineſt inſuper *potentia* maxima, ratione cuius media ipſa ad finem conducentia praecipit, & repug-  
nantia simul prohibet.

3to. Hominem econtra supremi Numinis eſſe opus, & facturam, eumque conſtare corpore, & anima *rationali*, *libera*, & *immortali*, pro explorato pariter habendum.

4to. Porro, quum homo fit *rationalis*, Crea-  
torem ſuum agnoscit: quum ab ipſo *dependeat*, reueretur, ac colit, quum fit *liber*, bonum pro-  
sequitur; ita ſiquidem natura comparati ſumus,  
vt & in malum, tanquam in bonum ſaltem ad-

parens, feramur: quumque demum sit *immortalis*, incessanter bono, & se concupito, adhaerere desiderat.

5to. Quia tamen homo in bonum isthoc, seu finem suum ultimum tendere haud valet, nisi adhibitis *mediis*, actionibus nempe suis liberis, necesse etiam est, ut, quemadmodum media cum fine concordare debent, ita etiam actiones humanae sint bonae, & honestae. In hoc vero plerumque labitur humana natura, suis cupiditatibus, & passionibus abreptā, ut bonum ipsum nequidem dignoscat, aut malum pro bono reputet: regulis itaque opus habet, ac norma, iuxta quam omnes actiones suas, honestae, bonaue ut sint, ac fini consequendo aptae, conformet.

6to. Has regulas aliter perspicere haud possumus, quam ex mente illius, qui proprium hominis finem constituit, nempe Dei, qui, quum plenum habeat in hunc dominium, illas quoque tanquam leges inuiolabiles obseruandas praecipit, &, quidquid eisdem contradicit, stricte prohibet.

X. His obseruationibus praenotatis, iam has ipsas regulas, siue leges diuinias vocamus *ius na-*  
*tu-*

*turae.* Porro, vt inquit S. Thomas (c) *Lex,*  
*quum sit regula, & mensura, dupliciter potest*  
*esse in aliquo: uno modo, sicut in regulante, &*  
*mensurante; & sic lex aeterna est in Deo: alio*  
*modo, sicut in regulato, & mensurato; quia,*  
*in quantum aliquid participat de regula, & men-*  
*sura, sic regulatur, & mensuratur, & hoc mo-*  
*do lex aeterna est in creaturis, quoniam omnia,*  
*quae diuinae prouidentiae subduntur, a lege aeter-*  
*na regulantur, & mensurantur. Atque adeo*  
*omnia participant aliquiliter legem aeternam, in*  
*quantum scilicet ex impressione eius omnia habent*  
*inclinationes in proprios actus, & fines. Inter*  
*cetera autem rationalis creatura excellentiori*  
*quodam modo diuinae subiacet prouidentiae, in*  
*quantum & ipsa fit prouidentiae particeps, sibi*  
*ipsi, & aliis prouidens; unde & in ipsa parti-*  
*cipatur ratio aeterna, per quam habet naturalem*  
*inclinationem ad debitum actum, & finem, &*  
*talis participatio legis aeternae in rationali crea-*  
*tura lex naturalis dicitur. Ita quidem Ange-*  
*licus edoctus fuit ab Augustino, cui lex natura-*  
*lis, & aeterna, si illam respectu Dei considere-*  
*mus, nihil est aliud, quam voluntas eius, ordi-*  
*nem*

*nem naturalem seruari iubens, perturbari vetans.* (d) Ex parte vero hominis est legis huius in mentibus nostris per communicationem incommutabilis rationis diuinæ facta transcriptio, (e) adeoque iuxta verissimam hanc doctrinam *Lex, seu ius naturale in Deo est, ac si in fonte,* ait Cl. Joan. Franc. Finetti (f) & est ipsa lex aeterna Dei; in homine vero reperitur per quamdam emanationem, & participationem, quae est ipsa per lumen naturale facta in cordibus nostris promulgatio.

XI. Secundum eadem principia ex Augustino, & Thoma delibata varii varie legem naturalem, siue *ius naturae* descripserunt; vocant quippe aliqui *ius naturale illud, quod Deus toti humano generi innato lumine, seu naturali ratione notum facit, ac promulgat.* Thomasio (g) est *lex diuina cordibus hominum inscripta, obligans eosdem, ut ea, quae necessario conueniunt naturae hominis rationali, faciant; ea vero, quae eidem repugnant, omittant.* Quoniam vero *ius*

(d) L. 22. contra Faustum c. 27. (e) L. 83. Questionum, quæst. 3. (f) De princ. iur. nat. & gent. L. I. c. 6. (g) Jurisprud. diuin. L. I. c. 2. §. 97.

**I**us naturale multas ambitu suo complectitur leges, quibus humanum arbitrium fleti debet, dirigi, ac duci; heinc illud ita definire malunt alii, quod sit *complexio regularum, siue legum, secundum quas omnes actiones nostras componere debemus, quasque Deus Auctor naturae cordi nostro insculpsit, & mediante ratione promulgauit.* Verbo: iuris naturae nomine veniunt regulae, ac leges omnibus hominibus ab ipso Deo praescriptae, quibus actiones suas conformes reddere, earumque ductum in omnibus sequi tenentur in ordine ad felicitatem suam, ceu finem ultimum consequendum.

## §. II.

### De antiquis Philosophis, ius naturae negantibus,

#### I.

**I**n principio quidem temporum neminem reperire fuit, quem adeo effrontem, & excœcatum fuisse credas, vt nulla se lege naturali obstrictum esse existimaret, aut cui non mox admissi crimini turpitudinem detexisset conscientiae cruciatus;

tus; *Primi enim mortalium, & ex iis geniti naturam incorrupte sequebantur, eamque babebant & ducem, & legem, effatum est Senecae;* (a) postquam vero philosophandi pruritus hominum animos obsedit, illico etiam virtus caepit profligari, vitia inualescere, Dei leges contemni, iustum cum iniusto aequilibrare. Vnde tot portenta opinionum, quas de moribus, & vita hominum scholae Scepticorum, Epicureorum, aliarumque sectarum in orbem inuixerunt.

II. Archelaus enim uero Anaxagorae auditor, teste Diogene Laertio, (b) nihil *iustum*, aut *turpe* natura esse, sed lege tantum humana adseuerabat, nec hominem peccare in Deum, aut legem a se latam, qualem naturae nostrae nunquam imposuit; sed legis mere posituæ, & reipublicæ arbitrio confectæ reum fieri.

III. Archelaum ex vestigio sequutus est apud eundem Laertium (c) Theodorus quidam ex Cyrenaeorum secta ab Aristippo fundata Philosphus: *furto quoque, inquiens, & adulterio, & sacrilegio, quum tempestiuum erit, operam daturum sapientem, nibil quoque borum turpe*

na-

(a) Epist. 90, (b) I, II, Sect. 16, (c) L. II, Sect. 99.

*natura esse, si auferatur de bisce vulgaris opinio,  
quae ad continendos stultos confitata est.*

IV. Cuius in hac re sententiae fuerit Carneades, vir alioquin eloquens, & ex turba Academicorum, ex ipsius verbis apud Lactantium (d) est addiscendum: *iura, ait, sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus mutata: ius naturale autem esse nullum. Omnes & homines, & alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri, proinde aut nullam esse iustitiam, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens.* Narrat praeterea summus Orator Cicero, (e) Carneadem aliquando coram senatu Romano in iustitiae laudem perorasse, alio vero die ad auditores suos reuersum, inane nomen esse, reapse haud dari *iustum*, atroçiter declamasse.

V. Epicurus, cuius Ethicam non pauci cum Gassendo defendendam suscepere, tam animae mortalitatem profiteri, quam legem naturae uniuersim euertere conatus est, hac ipsum ducente stoli-

---

(d) L. V. Insti. diuin. c. 16. (e) L. I. de nat. Deorum. c. 5.

stolidissima ratione: Leges nonnisi ex respectu humano, aut ex solo paenarum metu seruari a meticulosis: alioquin nec iustum dari, nec malum esse quamcunque libidinem.

VI. Stoici, etsi non omne virtutis studium repudiauerint, naturae tamen legibus vim intulerunt ut plurimum, ni penitus ex medio sustulerint: iustitiam amore dignam esse, praedicarunt; sapientes vero vitae suae, necisque dominos, quin imo rerum omnium, ne promiscuo quidem vxorum vsu excluso, constituerunt, illud insuper adfirmantes, quod, si vel vnica hominis actio sit honesta, omnes sint eiusmodi; aut vice versa, quod ex defectu vnius etiam singulae, quamuis de se optimae forent, vitientur. (f) Quod quidem abs maxima legis naturalis iniuria dici nequit.

VII. Eandem cantilenam cecinisse fertur Diogenes ille Cynicus, homo, ut constat, voluptuosissimus, qui honesti, decorique speciem fere tantum admisit, sapientibus id pro iure legitimo statuens, ut, quidquid eorum animis luberet, id abs-

(f) Laertius L. VII. sect. 130. & 131. item Cicero L. III. de fin. c. 18.

absque piaculo ex omnium manibus eripere haud negigerent. Lepidum profecto huiatis infaniae principium praetendebat infelix Sophista, auri cupidissimus. Quidquid est, ratiocinari consuevit: Deorum est, quibuscum sapientes amicitia iunguntur: amicis autem omnia communia esse, quis ignorat? proin, ut Deorum sunt omnia, ita & sapientum.

VIII. Omitto aliorum stultitias, siue in Deum calumnias, illud tantum animaduertens, vix aliam deprehendi posse causam, cur huiusmodi siue crediderint, quod tamen credibile non est: siue docuerint praestantes hi Philosophi, quam, ut vitae suae licentiosissimae patrocinium inuenient, aliasque iisdem tenebris inuoluarent; quae enim pronior via ad scelera perpetranda, libidinesque exercendas, quam, si aut Deus negatur, aut ipse tam impotens, aut incurius redditur, ut vel nolit, vel non possit humanos ausus coercere?



## §. III.

De modernis Libertinis na-  
turalem Legem repudiantibus.

## I.

**V**eterum Philosophorum spurcitas sequi, eodemque, quo ipsi, in luto pedem figere non erubuerunt recentiores Libertini, aliique huius generis homines; *ex legem* quippe creatum fuisse hominem, si animo non satis sunt persuasi, toto saltem id pectore peroptant; quumque & Dei maiestatem flocci faciant, in tantum creuit sentiendi libido, & audacia, vt neque ius aliquod nobis imperandi in ipso velint admittere.

II. Illud vel maxime dolendum, eos hocce aeuo circumferri libros, quorum auctores sub specie Religionis, ac pietatis, cuius tamen sunt hostes infensissimi, mira facilitate, ingeniosissimaque, sed vaferima simul amoenitate lectoribus etiam orthodoxis blandiri, eosdem in casses trahere, captis paratum diu, sed latens sub nectare venenum propinare, atque, quin mali suspicio quaedam habeatur, subdole necem inferre & sciunt,

sciunt, & gestiunt. Famosa sane sunt nomina, orbique notissima recentium Philosophorum, &, ut dici amant, *spirituum fortium*, quorum dicta, quum nouitatem redolere videantur, tanquam oracula excipiuntur ; at vero, si eorundem scriptis elegantioris stysi laruam detraxeris, quid noui se inuenisse gloriari queunt Philosophi eloquacissimi, quod non aequa gentilibus dictum, scriptumque fuisse, eruditii haud ignorant.

III. Mentionem primo loco faciamus de Thomas Hobbesio, nato in Anglia anno 1588. viro in Philosophia, & Mathesi, nec non linguarum orientalium studio mire exculto, plurium nobilium iuuenum moderatore sagacissimo, de religione vero pessime merito. Is ergo, quum ipsius adeo Numinis exsistentiam quam plurimorum iudicio negauerit, quae est primum iuris naturae principium, idem ius nonnisi pro chimaera habuisse censendus est.

IV. Sed ne forte cum iniuria Atheismi notam ipsi adfingamus, quae de iure naturae perniciosissime tradiderit, aliunde sunt haurienda, nempe ex libro *de Cive*, alteroque *Leuiatban*, seu de *materia, forma, & potestate ciuitatis ecclesie*.

*ecclesiasticoe; & ciuilis inscripto.* Quoniam vero de integra Hobbesiani systematis connexione in sectione 2da vberius recurret sermo, heic tantum eiusdem fundamenta praestruere libet.

V. Subponit primo egregius morum instrutor, actiones nostras non ex lege quadam aeterna, neque ex intrinseca earum bonitate, ac malitia esse mensurandas; sed ex arbitrio tantum potentiae, & imperii; ait enim, (a) *ante imperia iustum, & iniustum non existisse, omnemque actionem adiaphoram esse.* Ius igitur cum potentia confundit, proindeque omnia, quae Deo debemus officia in statu naturae, ex ipsius irresistibili potentia proueniunt, ea quidem ratione, ut, si Deo possemus resistere, neque ius haberet nobis imperandi, neque nobis ineasset obligatio obsequendi.

VI. Simili modo, antequam homines societatem inierunt, singuli habuerunt ius in omnia; erectis vero ciuitatibus illud deuolutum est in Principes, ac Magistratus, quibus pariter ob potentiam, cui resistere nefas est, parendum, illudque, quod praecipiunt, pro bono, quod vetant, pro malo

(a) L. de Clue. c. 15. §. 5.

malō habendum esset: nihil propterea interesseret, etiam si leges ciuiles *furta, adulteria, homicidia* &c. praescriberent; namque haec omnia fieri oporteret, quia Legislatorum potentiae resistere haud valemus. Quis, quaeso! ex his non perspiciat, Hobbesium omne iustum, & aequum ex natura prescrivisse?

VII. Hobbesio adhaesit Spinoza, qui quidem ante omnia nullam aut in Deo, aut in homine patitur libertatem: dein iuris naturalis nomine nihil aliud depraedicat, (b) quam *regulas vniuersitatisque individui*, secundum quas *vnumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum, & operandum.* Sed neque discrimen ponit inter homines, & bellus, ac perinde esse ait, siue homo recta ratione utatur, siue sit fatuus, & delirus; nam *vnaquaeque res legibus suae naturae, adeoque summo iure agit;* concludit, ius naturale *vniuscuiusque hominis non sana ratione, sed cupiditate, & potentia determinatum esse.*

VIII. Haud minori insolentia, ac insania haeo effutuit in suo, quem de *spiritu* inscripsit, libro

B

Hel-

(b) *Trađ. Theol. polit. c. 16.*

Heluetius, homines non nisi ex diuersa corporis structura discernens ab equis. En? quae sit ipsius doctrina moralis? *quod voluptati, inquit, blanditur, eamque nutrit, bonum, & virtuosum: quod voluptati personali conforme est, aequum, & iustum est.* In statu naturae ait omnes actiones indifferentes fuisse; nunc autem iustas, aut iniustas effici ob conuentiones, & pacta.

IX. A doctrina tam praeclara non recedunt, quotquot sunt ferme nouelli Libertini, quorum conatus praecipui sunt, ut vera philosophandi ratione euersa, vnicam sensualitatem, & utilitatem propriam, tanquam genuinam morum regulam commendent, adeoque & Deum, & animam immortalem, & omnem religionem se abiurare, hominemque ipsum ad bestiarum consortium deprimere ostendant; nam teste S.P. Augustino (c) *vita pecorum terrenis voluptatibus aestuat, sola terrena conquirit; si viuit homo secundum carnem, pecoribus comparatur.*



#### §. IV.

---

(c) Tract, 18. in Iordan.

## §. IV.

# De consensu Populorum, ius naturae conprobantium.

### I.

**N**imis abiectae huic, & prorsus inhumanae turpissimorum hominum speculationi dum restiterunt cultiores inter gentiles Philosophi, qui vel ex ipsa corporum figuratione hominum, brutorumque discrimen esse latissimum, demonstrarunt. Recte canit Silius italicus : (a)

Nonne vides, hominum ut celsos ad sydera  
vultus

Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora ?

Quum pecudes, volucrumque genus, for-  
masque ferarum

Segnem, atque obscenam strauisset in aluum.

paucissimis itaque, quos commemorauimus, iuriis naturae Disturbatoribus consensum omnium hominum possemus obponere; siquidem nulla tam fera, & barbara vñquam existit natio, quae leges Dei aeternas, ceu aequi, bonique censu-

ram, & normam non admiserit. Neque sane vllum habent, quo se aduersus eum tueantur, praesidium; praeclare enim scribit Seneca: (b) *Argumentum veritatis est, aliquid omnibus videri.*

II. Aut enim uero ex millenis vel vnum nobis producant Libertini naturalis legis peruersorem, cui non sufficiat summa Ciceronis authoritas. Viden', quid dicat in 2. de leg. *Hanc video, inquit, sapientissimorum sententiam, legem neque bominum ingeniosis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quidam, quod vniuersum mundum regeret, imperandi, probibendique sapientia.* Pulcherrime non minus (c) de lege docet, *quam non didicimus, legimus, accepimus, verum a natura ipsa adripuimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Sapientissimorum nomine non alios intellexisse videtur Tullius, quam viros ex Platonis, Aristotelis, Stoicorumque, quos praecipuo prosequebatur studio, prognatos Philosophia. Et ipse quidem Plato in *Parmenide* ita pronuntiat: *quemadmodum pulcbrum, & magnum ex ideis diuinis nobis obuenit; ita ex iisdem bo-*

---

(b) Epist. 117. (c) Orat. pro Milone.

*bonum, & aequum obtinuimus.* Chrisippus patiter (d) apud Plutarchum ait, *hanc reperiiri aliud iustitiae initium, nisi in Ioue altissimo;* ibi enim exordiendum esse putabat, ubi omnium rerum fons, & origo inuenitur.

III. Philosophis autem adiungenda venit nationum omnium Historia, qua Magistra didicimus; eas omnes *iuri naturae* litasse, earumque Auctores, Duces, ac Principes non alias tulisse leges, quam, quas cum illo exactissime conuenire dispicerent; actiones econtra eidem repugnantes communi consilio ut malas vituperio, & poena dignas iudicasse; *quae enim natio, loquitur iterum Cicero (e) superbos, quae crudeltes, quae ingratos non aspernatur, non odit?*

IV. Verum insurgunt heic Libertini, magno adplausu iactantes, inter ipsas gentes quamplurima naturae legibus admodum dissona, tanquam praecepta fuisse stabilita, quorum ad rigorem Carthaginenses Diis suas immolabant proles; Athenienses innocentissimos quandoque lege *Ostracismi* plecebat exsilio: Spartani, & Lacedaemonii furta, & rapinas non adprobarunt modo,

(d) L. 3. de Diis. (e) L. 1. de Leg.

sed & artem, dexteritatemque horum facinorum pueros suos edocebant: quid? quod nec eadem vbiique locorum viguerit morum regula, quod tamen pro iure diuina, & aeterno adstruendo est summe necessarium; sed, quod alibi turpe, ac flagitiosum, a nonnullis licitum, & honestum creditum sit, e. g. *occidere extraneos, parentes senio confectos.* &c. quis demum ignorat, existisse populos, bestiarum more viuentes, qui nec boni, nec mali ullum discrimen agnouerunt?

V. Haec, vtvt magnifice dicta sunt, nullum tamen plane robur habent. Certe Deus omni homini sanam largitus est rationem, qua & ipsius legem ignorare non potest; inquit namque Cicero: (f) *quibus ratio a natura data est: ergo & lex, que est recta ratio in iubendo, & vetando.* Igitur nulla dari ratio, nullus inueniri homo potest, cui ius naturale ignotum esse queat; cur autem contraria statuerint, aut permiserint quidam populi, ex ignorantia juris nequaquam factum est; sed vel ex peruersa principiorum applicatione, vel, quod rebus sensibilibus nimium addicti, & occupati, nec ad sanae rationis ex-

men

(f) L. I. de Leg. .1. 1 (o)

men se vñquam conuertentes, peruersas haberent in praxi, ac legi naturae contrarias notiones. Recte iterum Marcus Tullius in rem nostram effatur, (g) *tantam esse corruptelam malae consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque, ac confirmentur vitia contraria.*

VI. In obiectis exemplis res magis est explicanda. Didicerunt gentiles ex lege naturali, Deos maximo cultu esse honorandos; inde, quum nihil gratius iisdem offerre se posse, autabant, ipsas proles suas maſtarunt: Athenienses viros quandoque probos ob tyrannidis suspicionem, ac timorem patria expulerunt: Spartani fur̄tum permittebant, vt exercitatores pueros haberent, ac magis paratos ad arma. Ceterum, si, dum aliquid subripiebant, pueri deprehendebantur, eos seuere virgis caedebant. En! in his omnibus falsam rectorum principiorum applicationem.

VII. Id ipsum de aliis dici meretur; dato enim, apud quosdam populos vſuuenisse, vt parentes senio confectos, extraneosue interime-

rent, factum profecto id fuit ex fine, vt ipſi putabant, optimo, nempe vt proprios parentes miseria liberarent, ac, vt patriam ab hostibus, & extraneis, in quos se omne ius habere crediderunt, immunem redderent. Exstitisse praeterea populos adeo rudes, & barbaros, qui nullum omnino ius naturale agnouerunt, vt concedamus, adduci haud possumus, ipsa natura hominis reclamante, quae in corde cuiusvis stateram boni, malique posuit,

## §. V.

### SS. Ecclesiae Patres a criminationibus Libertinorum vindicandi sunt.

#### I.

**Q**uum nihil intentatum relinquant libertinismi fautores, ne ipsos quidem ecclesiae Doctores sanctissimos, ac praefantissimos suis ditteriis proscindere, iisdemque supinam iuris naturalis ignorantiam ausu summe temerario adfangere dubitarunt. Nemo vero magis in illos inuehitur quam Barbeyracus, & post ipsum Thomas-

masius, effutientes, *Patres parum, aut nibil de doctrina morali sciuisse*, variaque noxia, & erronea, ac non solum luci Euangelii, sed & iuri naturae aduersaria dogmata in animis auditorum suorum disseminasse. Quae quidem si vera sunt, mirantur Pseudopolitici, tantam adhucdum prae oculis nostris versari caliginem, vt cum ipsis haud videamus, legem, quae naturalis vocatur, non esse, nisi chimaeram terrificam, quam mala educatio, infantiae praeiudicia, humanumque ingenium pro farta, tectaque conseruanda societate parturierunt.

II. Sed quid, quaeſo ! tradiderunt sapientissima ecclesiae lumina, quod in iuris naturae perniciem vergere, moralemque doctrinam euertere heroibus nostris videtur ? multa admodum clamitant ipsis, nescio, qua prurigine abrepti ; incusant primo sanctum Ambrosium perspicue, vt volunt, docentem, adulterium ante legem Moses, aut Euangelii nusquam vetitum esse, & demta hac lege positua nec turpe videri, nec iuri naturae aduersum. Exscribere ipsa verba iuuat, quibus Abrahamum ob ancillae oppressionem a nefando scelere purgat : (a) *ita factum est;*  
in-

---

(a) L. I. de Abraham. c. 4.

*inquit, sed consideremus primum, quia Abram ante legem Mosis, & ante Euangelium fuit, non dum interdictum adulterium videbatur. Pena criminis ex tempore legis est, quae crimen inbibuit: nec ante legemulla rei damnatio est; sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abram, sed legem praeuenit. Deus in paradyso, licet coniugiam laudauerit, non adulterium damnauerat.*

III. Eum ipsum in errorem lapsum fuisse aiunt Augustinum, qui Abrahami nedum tuetur cum Agar concubitum, sed & laude extollit, persuadere nos volens, vxorem pro libitu suo ius, quod habet in corpus mariti, transferre posse in aliam, quod sequentibus verbis dilucide nobis explicat: (b) *quod autem, dicens, adtinet ad rem gestam, nullo modo est inurendum de bac concubina crimen Abrabae. Vsus est ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec insultans, sed potius obediens coniugi, quia suae sterilitatis credidit esse solatum, si foecundum ancillae uterum, quoniam natura non poterat, vulnitate faceret suum, & eo iure, quo dicit Apostolus: (c) SIMILITER ET VIR NON HABET*

(b) L. 16. de Ciuit. Dei. c. 25. (c) 1, Cor. 7. 4.

**HABET POTESTATEM CORPORIS SUI,  
SED MULIER,** uteretur mulier ad pariendum  
ex altera, quod non poterat ex se ipsa. Nulla est  
beic cupidō lasciuiae, nulla nequitiae turpitudo &c.  
Haec si a Viris, vt audiunt, sanctissimis, atque  
doctissimis absque ambiguitate prolatā sunt, &  
pro veritatibus inconcussis defensa, quis iam adeo  
stultescat, vt ius aliquod ab ipsa natura deriuatum  
esse sibi imaginetur ?

IV. Hieronymo insuper, Athenagorae, Cle-  
menti Alexandrino, aliisque Patribus ignotam  
fuisse legem naturalem, in comperto est; Hie-  
ronymus siquidem (d) damnat matrimonium,  
& secundas praecipue nuptias, quas & Athena-  
goras *decorum* vocat *adulterium*, (e) & com-  
mentario in Matthaeum (f) illicitum esse adse-  
rit omne iuramentum, quod quidem, si ius da-  
retur naturale, eidem ne minimum obesset. Cle-  
mens porro Alexandrinus, vt iactat Barbeyra-  
cus, ipsum Deum idololatrici astrorum cultus fe-  
cit auctorem, quando in 6. Stromat. haec effatur:  
*dedit Deus illis, nempe gentilibus, astra in re-  
ligionem, in quaे yerba iniquissimus interpres*  
scri-

(d) spist. ad Pamachium, & alibi.

(e) In Apologia. (f) In caput 5tum.

scribit, eum habere sensum: *dedisse Deum astra gentilibus, ut ea adorarent.* Quasi vero Clemens, postquam in variis locis idololatriam est insectatus, in tantam dementiam fuisse prolapsus, ut Deum idololatriam praecipisse, existimatasset.

V. Quis vero patiatur tantam, quam in Patres praeferunt Libertini, inclem tam, furorem, & audaciam, egregia cum inscitia coniunctam? profecto, si Barbeyracus, Thomasius, & eorum adseclae adtentius lectitassent Patrum scripta, si eorum etiam effata cum antecedentibus, & consequentibus conciliassent, si insuper ex aliis, quos conscriperunt copiosissime, libris eorum sensum, & mentem perpensius indagassent, talia in orbem diuulgare minime praesump sissent. Enimvero Patres in iure naturali ignorantes fuisse, atque *prauos moralis doctrinam Magistros, ac Dace's, calumnia est, qua maior excogitari non potest, quum ex obposito certum sit, eorum plurimos in ipsa lege naturali explicanda fuisse assiduos, & nos maximam partem eiusdem notitiam ex eorum scriptis purissimis hauiisse.*

VI. Sed,

VI. Sed, ne quidpiam praeterire videamur, ad singula nobis obiecta respondebimus. Certum praeprimis est, S. Doctorem Ambrosium constanter docuisse, prohibitum fuisse adulterium lego naturali, eamque legem a nemine ignorari unquam potuisse: id cum ex aliis, tum ex hoc ipso, quo abutuntur Aduersarii, libro est manifestissimum; siquidem in L. de paradiso, (g) & alibi de Abrahae concubitu loquitur tanquam de vero peccato, hocque ipso, in quo versamur, capite n. 27. actionem Deo minus gratam fuisse describit: itaque dicendum existimamus, inquiunt celeberrimi Patres Maurini (h) eum ideo scriptisse, adulterium ante latam Mosis legem non visum fuisse interdictum, ut significaret, illis temporibus eam circa adulterium ignorantiam extitisse, quae, et si non omnino culpam tolleret, baud mediocriter tamen illam minueret, id est, vincibilem ignorantiam; nemo enim negaverit, istam in iure naturali posse inueniri, & excusare, ut aiunt celebriores Theologi, sin minus a toto, saltem a tanto, eamque esse, de qua scriptum fit Luc. 12. ¶ 48. qui autem non cognouit, & fecit digna,

(g) C. 13. n. 65.

(h) In hunc locum, edit. Venet. de anno 1748.

*ha plagis, impulabit paucis. Et hoc sufficiebat cum ad excusandum Abramum apud eos, quos adloquebantur, qui eadem perpetrauerunt ante suam ad fidem conuersionem, tum ad eosdem ab eiusmodi crimine in posterum reuocandos.* Verior forte responsio est, sanctum Ambrosium adulterii nomine lata significatione nihil aliud intellexisse, quam Polygamiam, quae, ut in uxoribus iure naturali non censetur prohibita esse, ita & quandoque fuit summopere necessaria, in eoque potissimum argumentandi vim posuit Mediolanensis Episcopus, ut Catechumenos absterreret a pellicatu.

VII. Augustinum haud aliter vindicandum suscipimus. Fuit sane Abraham iuxta ipsum ab adulterio innocuus, quoniam usus est Agar ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, quod quidem abs culpa fieri licuisse ostendit, (i) ita sermonem instituens de Iacob: *iam vero filio eius Iacob, quod pro ingenti crimen quatuor obiciuntur uxores, generali proloquutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos*

(1) L. 22. contra Faustum, c. 47.

*Mores non est; alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra praecepta, quae quum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul babitis vxoribus obiicitur sancto Viro Jacob? si naturam consulas, non lasciviandi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur: si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur: si praeceptum, nulla lege prohibebatur.* Similia scribit de ipso Abraham cit. lib. c. 30. quod vero Agar concubinam adpellat, id etiam satis caute dictum est; concubinae enim vocabulum secundariis vxoribus tribuebatur, quod non essent in ea dignitate, qua vxor prima, nec filios gignerent, paternorum bonorum haeredes &c.

VIII. Errores, qui sancto Hieronymo adfinguntur, sunt purum, putumque mendacium; priori namque loco matrimonium, aut nuptias secundas minime reiicit, sed Pamachio tantum declarat, quomodo aduersus Iouinianum virginitatis, & continentiae statum praे coniugali longe perfectiorem esse scripserit. Commentario pariter in Matthaei Euangelium non iuramentum quodvis absolute peccaminosum esse indicat; sed pessimas potius peierandi consuetudines traducit, & vetat.

IX. Ob-

**IX.** Obuius quoque est sensus verborum Athenagorae; etenim, quod dicat Philosophus integerrimus, secundas nuptias esse decorum adulterium, hoc ipso iam ab adulterii criminis excusat. Et si acrius in secundas nuptias inuenitum fuisse arbitramur, non aliud intellexisse censendus est, quam eas minus esse conuenientes, quod dicere erat utique illis Christianorum temporibus adcommodatissimum.

**X.** Clemens demum Alexandrinus ab omni erroris suspicione immunis euadit, si ita accipiuntur eius verba: *nempe permisisse Deum, ut gentiles, Deum ignorantes, interim astra colerent, ne omnis in eis religionis sensus periret; sed inde postea ad Deum ipsum cognoscendum, atque adorandum adsurgerent.* Finetti (k)

(k) *De princ. iuris nat. & gent.* L. I, c. 2.



§. VI.

## §. VI.

**E**xistentia legis naturalis ex eius possibiliitate, & congruentia probatur.

## I.

**P**ropius accedendum nobis iam est ad ipsam iuris naturae existentiam commonstrandam, idque distinctis §. §., atque theorematibus faciemus, exordium ducentes ab ipsius possibiliitate, ac congruentia. Praeprimis vero est legis aliqua saltem notio praeformanda.

II. Lex, quam Cicero (a) vocat *rectam rationem imperandi, & prohibendi*, communis tam Theologorum, quam Iurisconsultorum iudicio dicitur esse *praescriptum aliquod, ab eo, qui communis curam habet, ad commune bonum direatum, & subditis intimatum*; a D. Thoma vero respectu subditorum lex definitur (b) *regula, & mensura actuum, secundum quam inducitur quis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*.

## C

## III. Ex-

(a) L. 1. de Leg. (b) Part. 2da, quæst. 90, Art. 1.

III. Exinde, quae debeant esse legis conditio-  
nes, facillimum est percipere. 1ma est, vt  
sit lata a Superiore, paratque obligationem;  
heinc leges Lycurgi, Solonis, aliorumque, qui nul-  
la publica potestate praediti fuerunt, vim verarum  
legum non obtinuerunt, nisi a populorum con-  
sensu, penes quos erat summum imperium. 2do  
necessae est, vt ad bonum commune dirigatur, eo-  
quod testante Apostolo (c) potestas sit in aedi-  
ficationem, non in destructionem. 3tio debet  
esse iusta; nam lex esse non videtur, quae iusta  
non fuerit, inquit S. P. Augustinus. (d) Re-  
quiritur praeterea legitima intimatio, seu pro-  
mulgatio; secus sciri nequiret. Interim necessi-  
tarium absolute non est, vt lex ipsa signo aliquo ex-  
terno, ac sensibili manifestetur; sed sufficit, si quo-  
cunque demum modo extra Legislatorem pro-  
deat, vt subditis proportionata illis ratione innö-  
tescere valeat. Opus denique est, vt lex sit sta-  
bilis, ac diurna; nam eo ipso, quod sit ad ho-  
rum publicum, eo perdurante, ni aliae oblieniant  
circumstantiae, etiam legem perdurare oportet.  
Ceterum in ipso etiam Legislatore, quum ad fe-

(c) 2. Cor. c. 10. (d) L. I. de Lib. arb. t. V.

gls obseruantiam censeatur subditos obligare, vis  
quaedam coercitiua praerequiritur, qua poenas  
in transgressores potest proponere, subditosque  
intra legis terminum continere, eaque legis ad-  
fictio sanctio appellari confueuit, eoquod lex,  
quasi poena, fanciatur, seu confirmetur.

IV. His de lege in genere praestabilitis, vt  
ipsius iuris naturalis possibilitas euincatur, illud  
pro certo, euidentissimoque demonstrationis no-  
strae fundamento ponendum esse, existimamus,  
*nihil videlicet aut ex parte Dei, tanquam Legis-  
latoris aeterni, aut ex parte hominum, tanquam  
subditorum deesse, quo minus lex istbaec aeterna,  
quamque ius naturae vocamus, existat, nosque  
ad bonum, rectumque sequendum impellat.*

V. Quod quidem Deum Legislatorem no-  
strum concernit, ex ipsa legis definitione constat,  
eum esse debere Superiorem nostrum, siue sum-  
mum imperantem, cui fas sit legem ferre, refrac-  
tariosque coercere, ac punire. Manifestum infu-  
per est, quod lex debeat esse iusta, id est, naturae  
conueniens, nec vires nostras transcendens.  
Illud demum etiam dictum, legem ad commu-  
ne bonum esse ferendam, de quibus plane singu-

lis nihil in Deo desideratur; est namque Deus supremus omnium *Dominus*, quum sit Creator omnium: est summe *potens*, adeoque legibus suis inobedientes poenis quoque potest plectere: est *optimus*, ac *sapientissimus*, vt proinde leges aequissimas, & ad bonum nostrum commune, seu felicitatem adquirendam imponat, ac ab omni nos iugo tyrannico liberet.

VI. Pari ratione, quidquid ex parte hominis ad ostendendam legis possibilitatem est necessarium, in ipso inuenitur. 1mo. *Subiectio*, & dependentia naturalis titulo creationis. 2do. *Cognitio*; est namque ratione praeditus, qua, quid praeceptum, quidue lege prohibitum sit, possit discernere. 3to. *Libertas*, quam intimo sensu experimur, vt in ipsius sit consilio, ac arbitrio legem adimplere, & ea, quae ad finem suum subsequendum inseruiunt, feligere. Adde 4to. doloris, ac voluptatis capacitatem, vt *proemiis*, si legi obtemperarit, aut *poenis*, si ab ea deflexerit, possit adfici. Haec omnia, quamuis contra fortes Philosophos demonstratione indigeant, quum tamen eam a nobis faciendam alia disuadeant, tanquam certissima postulantur, ac subponuntur, proindeque iuris naturalis possibilitatem ostendunt.

VII. Ne-

VII. Neque possibles sunt tantum leges naturales, sed & maxime congruum erat, illas ab hominum Effectore, ac Moderatore Deo stabiliri. Videmus profecto, res omnes ad suos fines dirigi, mirabilemque, quem tot saeculorum decursu inter se habent, concentum, ac harmoniam spectamus, quod aliunde haud repetendum venit, quam ex praefixo ipsis a Deo ordine. Nonne igitur multo magis conueniens erat diuinae sapientiae, vt, quae res ceteras summa prouidentia gubernat, etiam homini, natura sua rationali, operi perfectissimo, finem praefigeret excellentiorem, ad eumque obtinendum etiam regulam, ac normam adaptaret?

## §. VII.

### Legis Naturalis existentia est necessaria.

#### I.

**H**ucusque de legis naturae possibilitate, & congruentia disseruimus; exinde autem etiam illius necessitas eruitur. Quum namque Deus ex una parte perfectissime possideat praerogati-

*rogatiuas omnes, quae legitimo Legislatori conueniunt: ex alia vero, ut sapientissimus Auctor, considerit hominem, legibus recipiendis aptissimum, videlicet intelligentem, & liberum, boni, ac mali, proemii, & poenae capacem, inquit Cl. Finetti, (a) fane, ne frustra haec omnia homini data fuisse dicamus, legem ipsam, ad quam tanta adest in nobis aptitudo, fundatam fuisse necessum fuit; ad quid enim essent uberrima illa dona, quae Auctor naturae large hominibus distribuit, rationem, puta, liberum arbitrium, boni, malique capacitatem &c. ni lex sit aliqua, quam homo per rationem cognoscere, pro sua libertate adimplere, sicque se mercedis, aut poenae dignum facere satagit? aptissimum huiusce rei conprobanda exemplum ex ipsa natura hominis animali deducere nobis liceat. Sicuti quippe homo pro sui corporis constitutione varia habet, & admiranda organa, quibus cibum capere, concoquere, in chilum, & sanguinem conuertere potest, & exinde ad vitam eiusdem sustentandam cibum esse necessarium, concludimus; ita similiter, ex quo intelligimus, in homine*

(a) De princ. iuris nat. & gent. L. VI, c. 2.

mine reperiri ea omnia, quae ad leges recipiendas sunt aptissima, leges ipsas non possibiles tantum, sed ad eum rite dirigendum omnino necessarias esse, inferimus.

II. Elucet eo magis naturalium legum necessitas, ex quo reuera Deus, vt summe *bonus*, & *sapiens* aliud velle, nisi bonum suum, & nostrum, vt summe *iustus*, & *sanc&tus* aliud exigere a nobis, nisi iustum tantum, & aequum non potuit. Vt sapientissimus optimusque Parens noster illum solum finem respexit, ob quem nos creauit, nempe & propriam suam gloriam, & nostram perfectionem, atque felicitatem, quae duo adeo inter se consentire videntur, vt prō vno, eodemque fine reputari queant; nam supremi Numinis gloria in manifestatione perfectionum illius consistit; haec vero manifestatio inde potissimum venit, quod Deus & possit, & velit hominem perducere ad felicitatem, ac beatitudinem suam. Quoniam vero homo finem suum, seu felicitatem, ac beatitudinem sibi competentem adipisci nequit, nisi mediis opportuniſ; igitur etiam necesse fuit, Deum talia nobis prescrisſe media, quae ad finem sunt maxime aptata: & quaenam illa? non alia, repono; quam

quae homini ratione, ac libertate pollenti ad re-  
ctum earundem potentiarum usum inferiunt.  
Proinde hoc ipsum Deus etiam necessario voluit,  
ac praecepit, id est, legem naturalem nobis im-  
posuit.

III. Dubitari forsan posset, num Deus velit  
perfectionem nostram? nequaquam; cuiusuis  
enim est Artificis sui operis perfectionem velle,  
& procurare: hoc ipsum itaque eo magis de  
Deo, hominum Conditore optimo, ac sapientissi-  
mo praesumendum. Perfectio porro nostra in  
recto libertatis ysu sita est; siue in actionibus  
rationi nostrae conformibus: has igitur supremum  
Numen praecipere debuit, adeoque & legem na-  
turalem nobis, ut normam nostrarum actionum,  
exhibere.

IV. Si praeterea Deum, ut iustum, & san-  
ctum concipiamus, quia haec obpositionem in-  
voluunt cum iniusto, & turpi, illud solummodo,  
quod aequum censetur, eligere, ac nobis pro-  
regula praescribere potuit, ac debuit: datur igi-  
tur ius naturale homini, qui ex supradictis legis  
est capax, iustum & aequum praecipiens.

V. Et vero, ni Deus tulisset legem, quam  
naturalem nominamus, & hominem pro luctu  
suo

suo quidcunque agere permitteret, plane conser-  
tarium foret, ipsum non diligere plus bonum,  
quam malum, iustum, quam iniustum, virtutes,  
quam vitia: non magis insuper curare, quod na-  
turae nostrae consentaneum est, quam, quod ei-  
dem aduersatur: perinde denique Deo esse, seu  
amore ipsum homines, siue odio prosequantur;  
**vbi** enim nulla datur lex, & vtrumque obpositum  
licet fieri, puta, tam bonum, quam malum, Deus,  
qui ita exleges procreasset homines, vnum prae  
altero, *virtutem* scilicet prae *vitio* amare, ac  
gratum habere non potest; sed pari affectu  
**vtrumque** amplecti censendus est, quae doctri-  
nae enormitas quomodo cum Dei *bonitate*, &  
*iustitia* conciliari queat, sanus nemo diuinabit.

VI. Ex eo vero aliud incommodum grauissi-  
mum, ac toti generi humano summe perniciosum  
fequeretur, nisi leges naturales homini necessarias  
esse admittamus; his enim sublatis nullum iam,  
quamvis de sese maximum, erit in orbe malum,  
iniuria nulla: regnabunt impune fraudes, rapi-  
nae, caedes innumerae: nulla econtra reperi-  
tur securitas, nulla pietas, nulla clementia: qui-  
quis demum, nulla id prohibente lege, foret sto-  
tidissimus, qui voluptati suae, proprio commodo,  
ac effraeni libidini haud obsequeretur. VII.

VII. Reponunt, his malis cautum iri per leges humanas, post inita pacta sanctitas. Respondeatur: ergo saltem ante pacta, & foedera nihil justum, aut iniustum, nihil turpe, aut honestum fuisse cum Hobbesio fateri Aduersarii tenebuntur; de huius tamen Philosophi commento alibi singulariter tractandum erit.

## §. VIII.

### Ex ipsa natura hominis Legem dari naturalem euincitur.

#### I.

**E**tiam in rebus hisce spectabilibus, & in ipsa potissimum natura humana plura se produnt iuris naturae in nobis existentis, eaque apertissima vestigia; quocunque enim vertamus oculos, & mentem, conspicuum erit, in rebus singulis seruari relationem quamdam, ac ordinem adiuvicem adcuratissimum, eumque praecipue notari in homine non ad se ipsum tantum, & homines alios, sed ad diuersa etiam, & singula entia ipsum circumstantia. Hunc ordinem a Deo constitutum esse, quis dubitet? quum aliun-

aliunde haud resultet, quam ex diuersis singulorum entium proprietatibus, motibus, & affectionibus a natura inplantatis, & ita quandoque in individuo propriis, ac singularibus, vt nulli alteri rei possint esse communes.

II. Talem relationem ad inuicem oppido necessariam si quis habere nolle, is ipsum a Deo institutum ordinem infringere dicendus foret. Quumque homo liberum possideat arbitrium, eo pariter sic vti pro libitu potest, vt aut conformater ad praedictam, & a supremo Iove firmatam rerum normam agere, aut eidem contradicere, fusque, deque vertere queat; quominus tamen ita peruerse operemur, obstant nobis quam plurima, quae potius suadent, ordinem naturalem fartum, tectumque seruandum esse, idque ex lege naturali nobis congenita profectura esse, adfirmamus.

III. Ac primo quidem intra nosmetipos experimur renisum quemdam, displicentiam, ac veluti horrorem, quotiescumque aliquid contra consuetum, ac immutabilem naturae ordinem moliri cogitamus, idque non in theoreticis solum, sed praecipue quoque in rebus practicis, & mores concernentibus euenire solet; enim uero quis vul-

vulgatissimum illud ex Arithmeticā pronuntiatum: *totum esse maius sua parte*, negare audebit, nisi maximo cum mentis conflictu, & pugna? cui vis quaedam est insita, & naturalis, nos cogens ad veritatibus euidentibus ad sensum nostrum absque mora praestandum: sed & practicas veritates oxyus, ac per rationem innotefecunt, amplectimur, e. g. *Deum esse colendum, parentes esse bonorandos*; imo nec minori mentis pauore homo a quibusdam actibus absterretur, quos natura debito suo ordini repugnare nos docet; oportet igitur, esse normam aliquam naturalem, a qua recedere malum, & vitiosum est, & hanc normam vocamus ius naturae, quod ipsam veluti libertatem nostram constringit, & quid agendum, omittendumque sit, innata nos ratione instruit.

IV. Huc accedit ordo ille triplex, ac omnino necessarius hominis *ad Deum, ad se ipsum, & ad ceteros homines*. Manifestum procul dubio est, Creatorem, ac Dominum esse seruo suo, & creature excellentiorem. Certus sum, absque contradictione id negari haud posse. Eodem naturae ductu cognoscimus, spiritum ob dotes suas longe nobiliores corpore praestare, seu naturam ratio-

rationalem superiorem esse natura animali. Et quis demum haud comprehendat, homines esse quidem natura aequales, statu tamen, & conditione dispares? sed, natura id nobis distante, eiusdem etiam ordinem sequi tenemur, adeoque Deum, ut Superiorem, venerari, bona animae, plus quam corporis voluptates aestimare, proximumque aequa, ut nosmetipsos diligere, ac iis, a quibus magis dependemus, maiorem reverentiam exhibere. En! talis est naturae ordo, quem absque difficultate comprehendimus. Et nunquid contra eum agere esset naturam peruertere? proinde lex etiam est naturalis, & ante omnes hominum conuentiones confecta, cui actiones nostras conformare studeamus.

V. Et vere, qui legem naturalem ex hominum animis electam esse cupit, ipsam adeo rationem naturalem eidem adimit; si enim ratione homo instructus est, ratio vero ipsa, quod est consentaneum naturae suae, amplecti desiderat; profecto ea etiam actiones bonas, & malas, seu naturae suae conformes, aut aduersas discernere natura sua debet, & manifestare: proinde lex existit naturalis, seu norma nostrarum actionum; aut si haec negatur, ipsa pariter ratio non amplius existit.

§. IX.

## §. IX.

**E**x vita sociali, ad quam homo natura sua ordinatur, Legem naturalem existere, eruitur.

## I.

**J**am hominem consideremus, vt ad vitam socialem, ex natura sua ineundam, a Deo conditus est. Quod si conprobauerimus, certi quoque erimus de iuris naturae existentia. Id ex Doctore Angelico (a) testatum facimus, inquit: *Cuicunque est aliquid naturale, oportet etiam naturale esse id, sine quo illud baberi non potest. Est autem homini naturale, quod sit animal sociale; quod ex hoc ostenditur, quod unus homo solus non sufficit ad omnia, quae sunt humanae vitae necessaria. Ea igitur, sine quibus societas humana conseruari non potest, sunt homini naturaliter conuenientia. Huiusmodi autem sunt, unicumque, quod suum est, conseruare, & ab iniuriis abstinere. Sunt igitur aliqua in humanis actionibus naturaliter recta.*

## II. Haud

---

(a) L. III, de veritate cath, fid, c. 26.

II. Haud equidem in hac re consentientem habemus Hobbesium. Is (b) subponi tantum autumat, peti, vel postulari, hominem esse animal aptum natum ad societatem; re ipsa autem causas, quibus homines congregantur, & societate mutua gaudent, non eas esse, *quod aliter fieri natura non possit, sed ex accidente.*

III. Id ipsum Ioannes Iacobus Rousseau (c) systemati suo \* adaptauit, differte nos erudiens,

ho-

(b) L. de ciue. c. I. n. 2. (c) Discursu de orig. & fundam. inaequalitatis inter homines.

\* Quam belluimum sit huius scriptoris de homine in statu naturae constituto sistema, aliquantulum notasse iuuabit. Concipit primo hominem, ut animal, imbecillus quidem, quam nonnulla alia, aliis vero minus agile; at, si omnia computentur, perfectioribus, quam cetera animalia, organis instructum. Postea vero illius vitam, & statum, ut vocat, originarium, ac primituum ita nobis exhibit: si ego hominem considero, prout ex manu naturae prodire debuit, non aliud video, quam animal, quod cibum capit sub quercu, potum ad primum aquae riuum, quietem sub ipsa arbore, quae victimum illi suppeditauit, quo eius necessitatibus iam satisfactum est. At ecce! homines, quos

syl-

homini a natura vitam solitariam prae scriptam  
esse, adeoque solo casu, seu fortuito concursu  
mul-

sylvestres tantum vocat, nequidem adeo  
sibi industrios, ac prouidos existimat, ni-  
si alia quoque animantia obseruassent, ip-  
sorumque imitata fuissent industriam, se-  
le eleuantes ad instinctum bestiarum,  
quem sequuti, omnibus ferme variis illis  
cibis, quos cetera animalia inter se par-  
tiebantur, aliti fuerunt, atque rigidiori  
hac viuendi ratione maximum sibi robur  
compararunt; ex frequenti quoque cum  
belluis dimicatione feroce effecti. Sub-  
iungit dein, sanitatem ipsorum morbis  
aut nunquam, aut raro tentatam fuisse,  
idemque nobis euenturum fore, si sim-  
plicem, si vni formem, si solitariam vitam,  
cuiusmodi nobis a natura prae scripta est,  
duceremus, atque addit, si natura ad sani-  
tatem nos destinauit, iam certo adfirma-  
re ausim, reflexionem esse statum contra  
naturam, ac hominem, qui meditatur, esse  
animal depravatum. Exinde vero colligit,  
infirmitates nostras vna cum societatibus  
esse multiplicatas. Quae demum fuerint  
functiones hominis sylvestris, hunc in mo-  
dum declarat: homo sylvestris inciperet  
a functionibus mere animalibus, perci-  
pere, & sentire primum illius statum con-  
stitueret, qui ceteris quibusue animalibus  
communis est. Velle, & nolle, desiderare,  
&

multarum causarum extranearum, quae poterant nunquam contingere, homines in societatem coiuisse.

IV. Ve-

& timere primae essent, & fortassis vnicae eius animae operationes, quousque nouae circumstantiae nouas caufarent euolutiones. Subdit: homo sylvestris quo vis lumine destitutus nihil desiderat, nisi ex mero impulsu naturae, eius desideria physicas indigentias ipsius non excedunt. Alia non agnoscit in hoc vniuerso bona, nisi cibum, foeminam, & quietem, nec alia timet mala, praeter dolorem, & famem: heinc omnia illum a tentatione, & mediis statum suum mutandi remouere videntur. Nam eius imaginatio nihil ei representat, cor ipsius nihil exigit ab eo, ad manum habet id omne, quod modicis indigentiis ipsius sat est, tantumque abest ab eo cognitionis gradu, qui ad plura, & maiora desideranda requiritur, vt neque praevidentiam ullam habere possit, neque curiositatem. Eius animus quippe, qui a nulla re commouetur, vacat vnicce sensui propriae exsistentiae absque ulla idea futuri quantumuis proximi, eiusque curae vix ad vnius diei terminum extenduntur. Ita depingit Rousseau hominis statum naturalem, quem prae sociali, ac ciiali multum extollit, in eoque originariam felicitatem nostram conditam fuisse

D

prae-

IV. Verum refelluntur animales hi Philosophi ex ipsa hominum innata, quam habent ad societatem, inclinatione, ac desiderio; quotus quisque enim est nostrum, qui solitudinem non aegre ferat; dulciter econtra, suauiterque cum amicis non versetur? & id quidem, ut admireremur, necesse haud est, quum tanta sit rei huius necessitas, ut absque societate ne ipsa quidem vita humana subsisteret; statim quippe, ac in lucem edimur, ni parentibus subderemur, omni alterius auxilio destituti interiremus, imo ne nati quidem essemus, ni aliquam ad inuicem societatem genitores iniissent. Consenescat vero aliquis, infirmitatibus obpresso, & virium defectu:

eo-

praedicat, simul deplorans perfectibilitatem istam, qua progressu temporis ad rationationem pertigimus, veluti fontem omnium malorum, quibus homo obnoxius est, & quod ea sit, quae longo post tempore hominem ex statu eius originario deduxit, in quo ipse dies suos tranquillos, innocentesque decurrebat. Egregia eniuero philosophia hominis, si tamen hominis, qui tantam nominis sui gloriam apud aequales sibi conciliauit, hominis, inquam, generis sui contemptoris, atque erga Deum creaturae rationalis auctorem ingratissimi.

eodem, quo infans, alterius auxilio exutus, miserando interitu euanescit; quod non incongrue de quouis alio vitae spatio dici valet; nam quo alio tuti sumus, inquit Seneca, (d) quam quod mutuis iuuamur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursionses subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? praeda animalium, & victimae, ac vilissimus, & facillimus sanguis. — — Natura duas res dedit, quae hominem obnoxium ceteris, validissimum facerent, rationem, & societatem. — Societas illi dominium omnium animalium dedit: societas terris genitum in alienae naturae transmisit imperium, & dominari etiam in mari iussit. Haec morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit: haec fortis nos facit, quod licet contra fortunam aduocare. Hanc tolle, & unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.

V. Quod si igitur vita socialis est homini necessaria, regula etiam, siue lege naturali opus est, iuxta quam societas ipsa iuste ineatur, ac conseruetur; natura namque, vt supra retulimus, ho-

D 2

mi-

(d) L. IV. de beneficiis. c. 18.

minem condidit egentem, nec cuiusuis tantummodo societatis cupidum; sed vtilis, tranquillae, & ordinatae: actiones proinde etiam determinauit, sine quibus societas humana inperturbate subsistere haud posset, easque per legem ab aeterno statutam vniuscuiusque menti impreffit.

VI. Et sane agnoscimus, actiones quasdam, virtutesque ita a vita sociali infociabiles, vt & omnibus hominibus sint ex aequo communes, & animis mortalium tam firmiter infixae, vt nulla contraria consuetudine fint abrogandae, aut radicitus euellendae, quales sunt: *fidelitas, iustitia, amor mutuus, benevolentia, gratitudo*, & huiusmodi, quas quidem omnes ex ipsa natura, seu lege naturali rationi nostrae continuo praesente hausimus, eoquod, si secus esset, nec adeo forent stabiles, nec vbique locorum, & apud omnes nationes pari censura adprobatae, experientia nobis notum faciente, illud, quod legibus humanis est introductum, nec firmum fatis esse, nec ab omnibus receptum. Praeclare hoc expressum reliquit Lactantius (e) ita scribens: *Deus, qui ceteris animalibus sapientiam*

*non*

( e ) L. VI. divin. institut. c. 10.

*non dedit, naturalibus ea munimentis ab incur-  
su, & periculo tutiora generauit; hominem ve-  
ro, quia nudum, fragilemque formauit, vt eum  
sapientia potius instrueret, dedit ei praeter cete-  
ra bunc pietatis adfectum, vt homo hominem tuea-  
tur, diligit, foueat, contraque omnia pericula  
& accipiat, & praestet auxilium.*

VII. Rursus has virtutes, officiaque, quae ad  
societatem fouendam conferimus, in iure natu-  
rali fundata esse argumento est appetitus, &  
prompta quaedam inclinatio, nobis innata, ope  
cuius ad bonum cuius praestandum, malum vero,  
& iniuriam minime infligendam inducimur; haud  
mediocri siquidem laetitia adfunditur homo, dum  
alteri beneficium impendit, quamuis inde ne mi-  
nimum emolumentum capiat: ille econtra haud  
absque animi molestia, & anxietate est, qui quo-  
cunque impellente passionum aestu proximum  
laedit, & solatio destituit, quibus procul dubio  
conuincimur, tam benevolentiae amorem, ma-  
lique inferendi odium, quam ipsam quoque,  
vnde haec animis nostris patefacta sunt, nor-  
mam, & leges ante omnia hominum foedera  
naturam nobis communicasse, ac proinde leges  
societatis esse naturales, & congenitas.

## §. X.

**Lex naturalis nec sceleratissimis potest ignota esse.**

## I.

**J**us naturae adeo profunde est cordibus nostris insculptum, vt nemo, etiam inuitus, illud ignoret, eiusque leges, primae saltem, ac generales tam obuiam habent, & facilem euidentiam, vt ne maxime rudis, aut homo vitiis penitus immersus nodum ibi veluti in scirpo inuenire queat ; quis enim tam coecus, vt non intelligat, Deum e. g. super omnia, alios vero homines sicut nos metipso honorandos esse, nemini proinde malum, omnibus bonum optandum esse ? id enim uero absque negotio quemuis persuadebis, quum certum sit, iuris naturae praecepta esse leges rationis nostrae, qua neminem non praeditum esse, extra ambages est ; christianus namque Cicero Coelius Laetantius graui id verborum pondere corroborat, inquiens : (a) *Non est ergo*

---

• (a) L. III. instit. c. 2.

*go sapientia, si ab hominum coetu abborret; quoniam si sapientia homini data est, sine ullo discrimine omnibus data est, ut nemo sit prorsus, qui eam capere non possit.* Quin imo tantum huius sapientiae lumen supra nos diffusum esse, testatur idem Firmianus, vt de eo quandoque vulgus plus participet, quam ipsa acutissimorum Philosophorum ingenia, cuius rei ratio est, quod nimia disputandi subtilitas, immoderataeque disquisitiones multum in rebus, praecipue moralibus, officiant detegendae veritati; nam inde mens semetipsa quodammodo (b) irretitur, perturbaturque, ac suis propriis obpugnationibus defatigatur, adeoque auscultandae rationi tardior fit, & ineptior. Heinc optime citatus Lactantius habet: (c) *vulgus interdum plus sapit; quia, quantum opus est, sapit.*

II. Et vero nullum in hac parte ignorantiae, aut excusationi locum esse ex ipso, ad quem totum humanum genus destinatum est, fine colligimus, qui solus, ac unicus est, vt homines felices fierent; ad hoc enim prouidentia optimi Numinis exigit, vt ea, quae ad felicitatem con-

(b) Finetti. de princ. L. XI. c. 9.

(c) L. III. inst. c. 5.

ferunt, neque obscura essent, neque adeo cognitu difficultia, vt generatim a cuiusuis conditio-  
nis, ac status hominibus cognosci non possint.

III. Cognouerunt ea etiam homines vniuersi.  
Aut edic, quae natio fuerit vñquam adeo in-  
culta, quae nullas boni, malique notiones ha-  
buerit ? in quavis sane societate inueniuntur ho-  
mines, qui iusti, alii, qui mali, ac improbi exi-  
stimentur, idque non ob leges positivas, & ci-  
uiles, sed ob vñanimem, qui in omnibus homi-  
nibus est, iusti, ac iniusti instinctum.

IV. Imaginare tibi iam hominem Atheum,  
Theistam, Libertinum, vel quocunque nomine  
eum insignieris, ius naturae praefracte abnegan-  
tem : putasne, serio actum iri ? adfirmandum  
hoc nequaquam autumo ; tanta est enim eius-  
cmodi hominum perturbatio, tantus animi con-  
tradicentis luctus, \* tantus quoque futurae vi-  
tae timor, vt hominibus potius illudere iocan-  
do

\* Exemplo nobis sit famosus ille Spinoza, de quo  
refert Nieuuentit discursu praelim. de exsi-  
stentia Dei : certum est, quod Spinoza,  
vt omnem perturbationem, & omnem  
inquietudinem euitet, neque durante in-  
firmitate, neque ad lectulum mortis suae  
quem-

do adtentent, se seque miserrime deperdant. Agnoscunt profecto naturam intus clamantem, ac a vitiis dehortantem, quibus si nimium indulgent, etiam cunctis ludibrio, & abominationi se expositos esse persentiscunt. Quamuis igitur negent ius naturae, boni, & mali regulam, in corde tamen non minus, quam quiuis probus eam retentam habent, nec alia de causa pernegant, quam ut voluptatibus perfruantur, aut quod, si ilisdem iam propemodum sunt fracti, ad id desperabundi adigantur.

§. XI.

quempiam admittere voluerit, qui super statum hominis post hanc vitam, aut super certitudinem, & incertitudinem principiorum suorum verba faceret, quod certe non hominis indicium est, qui de sana, & vera philosophia persuasus esset. Nam etsi spiritus ipsius per infirmitatem adeo debilitatus esset, ut non ad omnes, sicut optasset, respondere potuisset; hoc tamen non obstante etiam secundum propria principia sua verum fuisse, quod propterea in altera vita infeliciar non existisset, sed solum, quod non gloriari potuisset, se in hac crisi extrema non fortiorum fuisse spiritum, ac alios. Christoph. Wolfius bibl. hebr. P. I. c. 3. S. 9. addit: morti proximus nullum admisit, saepeque in haec verba prorupit: O Deus! esto mihi peccatori propitius &c,

## §. XI.

# Libertinorum sophismata diluuntur.

### I.

**L**ucrétius, Spinoza, ac quotquot sunt Atheistorum, Libertinorumque Antesignani, longe diuersam a nobis opinionem tenuerunt, affirmantes, sensum communem, atque innatam illam, ut ridicule dicitur, de iuris naturae existentia notionem non aliunde originem suam traxisse, quam ex naturali hominum timiditate, per quam futurorum anxii, ac sortis futurae incerti, leges quasdam sibi effinxerunt, eisdemque eo magis honorem omnem detulerunt, quod ignorantia essent capti, rudes, & causarum ignari: ac leges quidem ipsas tum potissimum firmas egisse radices, quum a Legislatoribus, summisque Principibus pro stabilienda, augendaque sua potentia studiose fuerunt dilatatae, atque nutritae.

**II.** Verum, quid primo sit sensus communis, quantique valeat, apud omnes Philosophos est extra controuersiam. Quis autem credat, tam

con-

constantem, tamque uniformem virtutis, & virtutis  
 ideam a sola meticulositate fuisse intrusam, quam  
 aequa, & forte melius ab ipsa spe; ac desiderio  
 futurae beatitudinis nostrae deriuaueris? sed  
 aduertendum insuper, metum, qui absque omni  
 causa est, esse maximum stultitiae genus, toti  
 vtique humano generi haud tam facile imputan-  
 dum. Quod si vero rationem reapse habeant  
 tum metus, tum etiam spes nostra, praecedit  
 procul dubio aliquid, quod iusti, ac injusti distin-  
 ctionem nobis communicauit, nempe ratio no-  
 stra, facultas illa praeclara, & fallere in tali ca-  
 su nescia. Nec ignorantia praeendi potest tan-  
 quam causa communis hominum iudicii, hoc ip-  
 so, quia commune est, ac desumptum ex certissi-  
 ma, & nulli ignota huius vniuersi a Deo produ-  
 cti, & dependentis idea. Sed a Principibus con-  
 fictam esse legem naturalem, confidenter adse-  
 runt Libertini, eamque ad suum commodum po-  
 liticis maxime artibus in subditorum animis dis-  
 seminatam. Belle? ergo dolo tantum, & fasci-  
 natione humanum genus fuisset deceptum. Quis  
 vero sanus arbitretur, Principes nullo proposito  
 argumento, sed sola vana quadam adsertione, &  
 fabulis res tantas omnibus populis constanter  
 per-

persuadere potuisse, nisi a natura earum sensum  
mentibus iam alioquin inscriptum praesciuissent? obpositum profecto nos docent experientia, &  
annales gentium, Reges videlicet sapientissimos  
legibus suis positiis ex ipso naturae iure, quod  
iam apud singulas gentes vigebat, auctoritatem  
conciliaffe.

III. Regerunt Sophistae, notionem boni, &  
mali nequaquam haberi ex consensu communis  
interno, ac naturali, siue congenito, sed acqui-  
sito tantum, & ab educatione potissimum profe-  
cto. At falluntur admodum; quamvis enim na-  
tura perfectas bonitatis, & malitia ideas nobis  
haudquaquam instillauerit, illarum tamen semi-  
na in cordibus nostris deposita, quae ut euol-  
uantur, crescant, ac perficiantur, tantum facit  
educatio, & egregia morum instructio. Audi  
Senecam: (a) *desideras, inquit, quomodo ad  
nos boni, honestique notitia peruerterit?* *haec nos  
docere natura non potuit; semina nobis scientiae  
dedit, scientiam non dedit.* Et vere, dum de  
bonitate, aut malitia nobis est sensus, non tam  
ad educationem, quam ad ipsam conscientiam

no-

(a) Epist. 120.

nōstram adtendimus. *Sumamus morigerum adolescentem*, verba sunt Cl. P. Iordani Simon, in vniuersitate Pragensi controuersiarum Professoris publici, & Archiepiscopalis Consistorii adsef-soris, (b) ab educationis, & magisterii lege solutum: *se se offert occasio peccandi, cogitatne educationis leges, aut veritates menti impressas?* intima conscientia sua in periculo euigilans dicitat ipsi, *Deum videre omnia, & actionum suarum penetrare intima;* nouit alias actiones esse bonas, alias malas, illas laudes, bas poenam mereri. *Vnde venit hoc iudicium? ex educationis lege?* banc parum curaret, ubi Parentum, & Magistrorum absunt oculi; ratio igitur, & lumen naturae hoc dicitat iudicium, quia dicitat, *Deum videre omnia — — interea tentatione victus, habitur adolescens: non est, qui videt, non est, qui condemnat, non est, qui testimonium erga ipsum ferat: recognitat, male egisse, timet, tremit &c.* Nonne perspicuum est, naturam hos instinctus formasse, & educatione eosdem tantum foueri, perficie?

## IV. Di-

(b) L. I, de Relig. nat. Sed. V. c. II. §. 3.

IV. Dicunt: quemadmodum impressus est nobis quidam instinctus, quo honesta adprobamus, turpiaque condemnamus; ita non minus ea nobis a natura sunt inplantata, quibus ad via ferimur, propensiones vehementissimas existima ad *iram*, ad *voluptates* &c. Ergo natura aequa ad vitium impellit, & proinde lex naturalis mala, & turpia non condemnat. Ad haec sapienter respondet Cicero: (c) *efficiendum autem est, vt adpetitus rationi obedient, eamque neque praecurrant, nec propter pigritiam, aut ignauiam deserant, sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant, ex quo elucebit omnis constantia, & moderatio.* Passiones igitur, & affectus, siue propensiones, vtv suu modo naturales dici queant, si tamen ratione nostra moderantur, dominari nobis haud poterunt. Id porro ipsum naturae ius imperat, vt inferiora superioribus subiificantur.

V. Arguunt vterius: subposita legis naturalis existentia sequitur, eam esse necessariam, quod diuinae libertati officit; aut nonne Deus alium longe naturae ordinem constituere potuisset,

fet, & leges ferre his prorsus contrarias ? potuisset vtique respectu illarum legum, quas liberima sua voluntate decreuit ; secus vero res se habet in lege naturae, quae ab eadem voluntate haud dependet : sed ex ipsa ratione suprema, & diuina emanat praecipiente, vt, si homo rationalis constituatur, etiam rationis ductum sequatur, debitumque ordinem erga *Deum, se ipsum, & proximum* obseruet.

## SECTIO SECUNDA DE PRINCIPIIS JURIS NATURAE APUD LIBERTINOS.

### §. I.

#### Principium Epicuri, eiusque enormitas

##### I.

**V**idimus hucusque, nullum esse de Libertinorum secta Philosophum, qui legibus naturae extremum inferre exitium haud proposuerit ; in summas tamen quandoque an-

gu-

gustias redacti, rem quidem ipsam nomine saltem tenuis admittere haud detrectarunt, sed tam peruersa ipsius principia, ac leges quasi fundamentales tradiderunt, vt omnem moralis doctrinae veritatem, honestique normam euertant, ac pessimunt.

II. Principium iuris naturae, seu moralitatis vocatur id, ex quo actio humana suam bonitatem, vel malitiam moralem habet, ac licita esse, vel illicita probatur.

III. Epicurus itaque pro primario, ac vnicō actionum nostrarum, & felicitatis capeſſendae principio statuit voluptatem; ita enim sonant ipsius verba in epistola ad Menoeceum: (a) *voluptatem principium, ac finem dicimus beatae vitae.* Est quippe iuxta epicureum ſyſtema voluptas carnis, & ſenſum omne, ac vnicum hominis *bonum, & felicitas,* proindeque natura non ſolum permittit, ſed iure etiam quodam praecipit, vt homo voluptate fruatur, quum, ifecus faceret, bonum ſuum obtinere haud poſſit. *Malum econtra Epicureis ſunt dolor, moeror, & afflictio,* quae vt fugiantur, humana denuo requi-

(a) Apud Laert, L, X, ſect. 128.

quirit felicitas. Et vnde quidem hoc malum, nempe moeror, & afflictio proueniat, ipse nos instruit Epicurus, excessum in voluptate, vnde molestia quaedam exoriatur, aut circumstantias, minus caute adhibitas, pro causa adlegans ; ita enim sese exprimit : *voluptates festari, & fructus in talibus circumstantiis, & in tanta copia, ut exinde vel leges ciuiles violentur, vel quis alterius indignationem incurrat, aut sanitatem corporis, ut inde dolorem, maerorem, toedia, & afflictionem pati debeat : hoc malum, & malorum maximum est.* Ut parro quis rite voluptatibus perfruatur, requirit artes, studia, imo virtutes quoque, cbaritatem, amicitiam, mansuetudinem, generositatem ; ad dolorem autem vitandum prudentiam, patientiam, temperantiam &c. quae tamen virtutis nomen haud aliter merentur, quam prout ars sunt *voluptatibus fruendi*, hoc est, vt inquit Iordanus Simon : *sciendi pellere ex animo timorem Dei, mortis, & inferni : sciendi effugere, & vitare dolorem, indignationem, poenas, infirmitates &c.* Ita praecclare dogma suum explicauit Epicurus.

IV. Enormitas vero, falsitas, & turpitudo huius doctrinae se ipsam fatis manifestam reddit.

E

Cer-

Certe principia moralia, siue iuris naturae, ex quibus actiones nostras determinamus, eisdem debent honestatem, ac vt licite fiant, procurare : aut si ab his deflectimus, actiones etiam in honestae, & illicitae efficiuntur. Admisso igitur, quod voluptates sensuales fint primum actionum nostrarum, & ipsius adeo felicitatis nostrae principium adaequatum, & vnicum, quum hae fint homini aeque, ac brutis communes, bruta autem nec moraliter bene, nec male operentur; sed ex instinctu sibi proprio, & coeca prurigine absque ratione, & libertate : sequitur, etiam hominem ex censu brutorum minime eximendum esse, & heinc sicuti nec bruta animalia, ita nec ipsum habere aliquod principium moralitatis, adeoque nec bonitatem, nec malitiam suis actibus comparare posse.

V. Nihilominus tamen Epicureis est prima agendi regula voluptas, eaque honestissima : verum quid inde inferas ? nempe : ergo quidquid voluptati humanae blanditur, quidquid ad exemplandas libidines adlicit, quidquid ad obprimendum proximum inuitat, erit agendum, erit licetum, erit honestum.

VI. Ad-

VI. Admiratio heic locus est, cur tot, ac tantos Encomiastes natus fuerit Epicurus, cuius tamen scholam, vitam sordidissimam, ac doctrinam corruptissimam dudum nigerrimis coloribus depinxerunt non tantum Cicero, Plutarchus, Sextus Empiricus, Seneca, aliquie ex gentilitate Philosophi, ac Historici; sed etiam ex antiquissimis SS. Patribus Clemens Alexandrinus, Lactantius, Ambrosius &c. Dicunt quidem Epicuri adatores, summum hominis bonum ab ipso non in voluptatibus lascivis, & carnalibus, sed in suauitate quadam, & delectabili animi quiete, quae ex virtute nasceretur, collocatum fuisse, & si Baylio credere vellemus, vix unquam purior, temperantiorque Epicuro Philosophus existisset. Attamen longe aliud nos docent horti epicurei, in quibus cum scortis, & meretricibus vitam ducebat impurissimam teste Athenaeo. Aliud etiam colligimus ex cohaerentia doctrinae; etenim Epicuro anima non erat aliquid distinctum a carne, & caro, voluptatibus orbata, perturbatione, dolore, toedio adficitur; proinde verius, imo verissimum esse videtur, voluptatem non in animae deliciis spiritualibus, sed in carnis libidine eum constituisse.

VII. Attamen vltro concedamus Epicuri defensoribus, eum non carnis, sed animi, & virtutis voluptates pro primo iuris naturae principio adsignasse: ergo haec erit verum, & vnicum boni moralis principium, & norma? minime quidem gentium; nisi enim virtus ipsa, consequenter & actiones nostrae subponerentur esse bonae, licitae, & ad iuris naturae normam compositae, sane nec animus noster voluptate perfunderetur, vt pote quae bonum consequitur, non ipsa facit: aut si malum vt bonum sequendum proponit, nonnisi a carne, & sensibus seducta hoc facit. Rem hanc praeclare illustrat exemplo P. Iordanus Simon: (b) *si voluptas animae, dicit, posset reddere actionem virtuosam, & bonam: ergo si homo inimicus voluptatem animi conciperet in vindicta, & sanguine: si homo libidinosus sentiret animi oblectamentum in uxore aliena: homo auarus in bono alieno, & sic de ceteris illicitis: ergo & bomicidium, & adulterium, & rapina, & quodlibet crimen a voluptate seductae rationis redderentur actiones virtuosae, & moraliter bonae.*

## §. II.

---

(b) Loc. cit. Sect. III. §. 1.

## §. II.

Principia Carneadis reii-  
ciuntur.

## I.

**C**arneadi duplex est omnis moralitatis principium : imo. quidem in statu naturae *iudicium priuatum, Amor, & vtilitas propria*, vt propterea illa honesta, ac iure naturae praescripta, vel vetita censeri debeant, quae priuatae cuiuslibet vtilitati conferre, vel detrahere videantur iuxta illud Horatii : (a)

Atque ipsa vtilitas iusti prope Mater, & aequi.

post societas autem initas, quoniam, quid vtile, quidue nocuum sit homini, decernere soli Principes possunt, aut id saltem ex conuentionibus, & pactis est mensurandum, heinc 2do. ex ipsius mente tota idea *boni, & mali* est vnice effectus artis politicae primorum Legislatorum. Quae duo iam doctrinae capita refellenda suscipimus.

E 3

II. Ac

(a) L. I. sat. 3.

II. Ac primo, si morum, actionumque nostrarum honestas ex priuato cuiusuis commodo, siue vtilitate est deducenda; profecto, quemadmodum haec vtilitas in variis est diuersa, ita, vt, quod vni est vtile, alteri sit inutile, imo nocuum, & exitiale; sic pariter naturae lex ipsa, illiusque regulae constantes esse, inuariabilesque perseuerare haud possent, & actiones quoque ob multiplicem nostram, cui subiecti sumus, variationem nunc honestae, alias inhonestae ex praefentia, vel defectu proprii commodi redderentur.

III. Sed nec perniciosius quidquam hoc dogmate excogitari potest; siquidem & naturam boni, malique tollit, & cupiditates fouet improborum, qui sese semper bonum sectari dubitare non poterunt, si semel bonum ex cuiusuis vtilitate definiatur; nam certe, qui propriis affectibus indulgent, propriaeque vtilitatis amore diriguntur, actionesque quaecunque exinde iustae euadunt, atque honestae, quidquid libet, agere absque temeritate valent, adeoque omnibus vitiis, & flagitiis via est aperta, virtutibus vero obclusa. Aut edic! quis non alterius hominis necem, bonaque qualiacunque demum veluti sibi commoda cupere, ideoque iure naturali inquirere posset?

set? quo admissio, quam deplorandus foret hominum status, animo vix comprehenditur.

IV. Deinde quis negabit, nos ad quamplurima obligari, adeoque ea licite, & iure agere posse, ac debere, quin exinde nobis aliqua utilitas ad crescere? ita enim uero absque ullo commodo nostro Deo supremo nostro Conditori debemus cultum, & obsequium: Parentibus reverentiam: ciuibus in una ciuitate arctius coniunctis amorem mutuum, & defensionem erga aggressores: proximo iustitiam, fidelitatem, benevolentiam &c. ad haec quidem, & similia praestanda natura, & ratio nos impellunt, fierique queunt etiam cum incommodo proprio: proin utilitas priuata genuinum iuris naturae principium dici nequit.

V. Accedit experientia; nam licet plurimi, inquit Cl. Finetti, (b) *ex vulgaribus praesertim hominibus ita sint comparati, ut nihil propemodum, nisi, quod sibi commodum est, adpetere, & persequi videantur; tamen alii quoque magis generosa, praestantique sunt indole, quibus aliorum etiam, & praesertim commune ciuitatis, imo to-*

tius humani generis bonum curae est quam maxime, illudque pro virili curant, promouentque. Hoc in primis videre est in bonis Principibus, sapientibusque Legislatoribus, qui, quas ferunt, legibus luculentissime ostendunt, nihil sibi magis cordi esse, quam commune bonum, publicamque utilitatem, felicitatemque. — — — Iam vero, si a summis Imperatoribus, & Legislatoribus ad alia hominum genera descendamus, rem eandem frequenti experientia comprobata facillime compieremus; nam, ut eos nunc praeteream, qui, quamuis priuati, bonum tamen commune, publicumque & sincere desiderant, & quoad possunt, opere promouent. — — — Quid dicendum de amicis erga amicos, de sponsis erga sponsos, de Parentibus erga filios, & vicissim? an non isti omnes saepe saltem, si semper, iis, quos charos babent, & corde bene cupiunt, & opere bene faciunt, quin exinde ullum intendant proprium commodum, ullamque delectationem, nisi, quam ipsis parit conscientia beneficiendi iis, quos diligunt, quorumque felicitas tam ipsis cordi est, quam sui ipsorum propria, quam ob rem ipsum bonum amici, sponsae, filiorum, aut Parentum gratissimum est ipsorum voluntatis obiectum. &c.

VI. Nee

VI. Nec sane dicant Aduersarii, innatam esse propriae vtilitatis cupiditatem; nam etsi id minime negemus, non ita tamen hominibus sui ipsius amor est impressus, vt mutuae societati, coniunctioni, & amori, publicae item, & communis aliorum, quos nobis perfecte similes, eodemque iure animatos intelligimus, vtilitati opponatur; sed illa propriae vtilitatis cupiditas, cuique amor temperari debet, vt illa tantum nobis commoda exoptemus, quae aliorum iuribus, ac vtilitati minime praeiudicant. Imo etiam paratos nos esse expedit, si id rei honestas requirit, etiam cum proprio vtilitatis contemptu communis bono consulere: quod ex eo potissimum euenit, quia praeter ingenitam nosmetipso conservandi, perficiendique cupiditatem, etiam aliorum, totiusque humani generis amorem innatum habemus.

VII. Porro etiam ad aliud Carneadis principium, explodendum conuertimur, quod tam labili, ac infirmo insistit pede, vti prius de vtilitate priuata. Qui id probabit nobis graecus Philosophus, legem a nemine, nisi a Magistratibus fuisse excogitatam, nobisque impositam? nempe cerebri ipsius haec fictio est, quae verbis quidem dici, a nul-

nullo tamen mortalium concipi, ac in hypothēsin redigi potest. Nihil plane pro refutatione huius delirii opus est, quam, vt ad nosmetipſos parumper attendamus; intimo quippe ſenſu percipimus, eſſe in nobis quamdam ideam boni, & mali, iuſti, & iniuſti, eamque mentibus noſtris obuerſari, antequam ad leges ciuiles vel nos reflectamus, vel eas exſttere certi ſimus; Ita enim uero, antequam ad leges ſocietatis, aut Principis recogitemus, a nobis metipſis admonemur, quum actionem malam poſuimus, nos male egiffe, & quin poena a Legiſlatore politico ſtatuta fit per timescenda, poenitentia ducimur: econtra virtutis ſtudioſus, quamprimum opus laudabile comiſit, ſecum ipſo congaudet, ac ſe bene egiffe, nullo alio ſuadente, cognoscit. Et vndenam hoc profectum eſſe arbitremur? profecto non aliunde, quam quod regulae iuſti, & iniuſti ſint ante omnia pacta cordibus noſtris a naturae Authore inſcriptae, & per rationem promulgatae.



## §. III.

## §. III.

# Principia Hobbesiana.

### I.

**H**obbesianum iuris naturae systema generice adumbravimus priori sectione §. III, nunc ad particulares propositiones intendamus animum. Homo *praeprimis*, in statu naturali positus, absolutum ius habet in omnia. Id diserte docet Hobbesius his verbis : (a) *natura dedit unicuique ius in omnia, hoc est, in statu mere naturali, siue, antequam homines ullis partis se se invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecunque, & in quoscunque libebat, & possidere, uti, frui omnibus, quae volebat, & poterat.* Fundamentum huius thesis est, quod in tali statu nulla facta sit bonorum diuisio : proinde aequaliter ius est omnibus in omnia, ac qui quis de omni ge tuto dicere potuit : *hoc meum est.*

II. Ad huius iuris conseruationem, & securitatem necesse est, continua esse bella, & inimicitas omnium in omnes, adeoque etiam fraude, dolo,

(a) De ciuc. c. I. §. 10.

dolo, ac vi eos omnes, a quibus timet, sibi quisque subiicere tenetur. Haec egregie admodum dilucidata inuenies lib. cit. (b) vbi ait : *status naturae status belli est : ac hostis est quisquis cuique, cui neque paret, neque imperat.* Prosequitur : (c) *status ciuitatum inter se naturalis, id est, hostilis est. Neque, si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio, in qua hostis alter alterius motum, vultumque obseruans, securitatem suam non ex pacis, sed ex viribus, & consiliis aduersarii aestimat.* Ceterum, quamvis statum quietis ne pacis quidem proprie dictae nomine insignire voluerit Hobbesius ; eam tam non omni ex parte fugiendam, sed quandoque etiam valde opportunam esse censuit ; nam inquit, (d) *pacem esse quaerendam, ubi baberi potest ; ubi vero non potest, quaerenda auxilia belli.*

III. Concludit exinde, vnumquemque habere plenissimum ius quibuscumque mediis utendi, quae ad propriam conseruationem iudicat esse necessaria. Hocque primum, integrumque legis naturae principium Hobbesio visum fuisse, nempe

(b) C. IX. (c) C. XIII. §. 7. (d) C. I. §. 2.

pe sui conseruationem omni possibili modo, facile dignoscitur, tum quia pro constanti axiomate illud posuit: *quidquid conseruandi sui causa fit, iure fit*: tum praeterea, quia in statu naturae nullam aliam admisit regulam, quam propriam utilitatem, cui quidem procurandae haud melius esse medium statuit, quam alios praeoccupare, & e medio tollere. Imo etiam subneftit, in ratiocinatione falsa, seu in stultitia hominum non videntium, quae necessaria sunt ad conseruationem propriam, omnem consistere legum naturalium violationem.

IV. Pergit deinde nobis fucum facere, dictando, homines ante initam societatem, & pacta stabilita exacte aequales fuisse viribus, & naturali potentia, ac per consequens neminem alteri quidpiam debuisse, ac vnumque inque supremum egisse iudicem eorum, quae ad propriam necessitatem, suique conseruationem conduxere: postea vero iustitiae nomen inualuisse, quae nihil est aliud, quam pactorum custodia; *regulas enim boni, & mali*, inquit, (e) *iusti, & iniusti, honesti, & in honesti. esse leges ciuiles*: ideoque,

*que, quod Legislator praeceperit, id pro bono, quod  
vetuerit, id pro malo habendum esse : ita quidem,  
ut obediendum foret legi, quamvis propria con-  
scientia reclamaret.*

V. Sed numquid Deo anglus iste Philosophus  
omne ius nobis imperandi, legesque imponendi  
admit ? non ita equidem ; sed illud repetit ex  
sola potentia irresistibili, & imbecillitate huma-  
na ; de priori enim ita fatur : (f) *regendi, &  
puniendi eos, qui leges suas violant, ius Deo est  
a sola potentia irresistibili.* Et paulo post inquit:  
*iis, quorum potentiae resisti non potest, & per  
consequens Deo omnipotenti ius dominandi ab ip-  
si potentia deriuatur ; & quotiescumque Deus  
peccatorem punit, vel etiam interficit, et si ideo  
punit, quia peccauerat, non tamen dicendum est,  
non potuisse Deum eundem iuste adfigere, vel  
etiam occidere, et si non peccasset. Tum de obli-  
gatione obtemperandi (g) eum in modum de-  
cernit : quod si ius regnandi babeat Deus ab omni-  
potentia sua, manifestum est, obligationem ad  
praestandam ipsi obedientiam incumbere bominibus  
propter imbecillitatem. Haec sunt illa pulcherri-  
ma*

(f) Ibidem. (g) C. XVI. §. 7.

ma iuris naturae principia, quibus nonnisi stolidissimos hominum animos sibi deuincere studuit Hobbesius, legemque Dei aeternam submouere. Sed iam vnum post alterum examinabimus, ut veritas in aprico ponatur.

## §. IV.

# Horum principiorum falsitas detegitur.

### I.

*Jus esse omnium in omnia*, commentum est maximum, & contradictio praegrandis; nam ius, quod unus haberet in omnia, singulis ex aequo conueniret: ergo omnes simul ius istud haberent in omnia, simulque non haberent. Haberent utique, quia ab eo Hobbesius neminem vult exclusum esse: atqui simul non haberent, quia ab eo captando singuli, qui idem ius praetendunt, alios, & hoc quidem processu in infinitum facto, abigere, ac praepedire poterunt. Et nonne summa foret dementia, adrogare sibi ius in omnia, quum ea nequidem necessaria essent, neque utilia, sed quandoque, imo plerumque superflua, & nocua?

II. Haud

II. Haud ignarus sum, Hobbesium responde-re, non ultra hoc ius protendi valere, quam ad illa tantum bona, quae ad propriam cuiusuis conseruationem sunt necessaria. At vero ius istud, quod ego habeo ad ea omnia, quibus me, & vitam meam conseruare labore, etiam penes alterum est, qui proinde illa bona mihi praeri-pere, vitamque ipsam auferre potest: profecto ergo, si ius daretur omnium in omnia, omnes illud simul haberent, eoque vicissim carerent, quod euidenter contradicit.

III. Tam ludicra huius doctrinae infirmitas, ac contradictio haud latuit systematis sui fabri-catorem; ipso siquidem fatente: (h) *iuris ef-fectus idem pene est, ac si nullum omnino ius ex-sisterit: quanquam enim quis de re omni poterat dicere: hoc meum est, frui tamen ea non poterat propter vicinum, qui aequali iure, & aequali vi prae-tendebat, idem esse suum.* Effugii tamen locum inuenisse gloriatur Hobbesius, vt status ho-minum naturalis conseruetur, bellum omnium in omnes esse gerendum, & inimicitias nunquam interrumpendas esse adfirmans.

IV. Na-

(h) Loc. cit. §. II.

IV. Naturale esse hoc bellum, naturaliaque iurgia, indubitanter docet. Ait enim (i) frequentissime accidere, *quod multi simul eandem rem adpetant, qua tamen saepissime neque frui communiter, neque eam diuidere possint*: *vnde sequitur, fortiori dandam esse; quis autem fortior sit, pugna iudicandum est.* Quam porro prompti sint hominum animi ad dimicandum, cum energia inculcat (k) partim, quod in omnibus sit *virium aequalitas*; quum facile sit, infirmissimo cuique robustiorem occidere, si non roboris magnitudine, saltem industriae vigore; partim vero, quod mutua quoque adsit *laedendi voluntas*, qua quisque se superiorem, omniaque sibi licere existimans, haud aegre ad pugnam excitatur. Nitidius, & per exempla practica id ipsum exhibet (l) ita loquens: *ex natura passionum perspicue infertur, naturam homines dislocauisse, & ad mutuam caedem aptos, inclinatosque produxit, idque experientiae consentaneum est; cur enim unusquisque, quando iter ingreditur, comites quaerit, arma gestat? quando dormitum it, fores claudit, arces obserat: qualis*

F

bic

(i) de ciue. c. 1. §. 6. (k) Ibidem, §. 3. &amp; 4.

(l) In Leujath, c. XIII,

*bic babet opinionem de conciuibus, de vicinis, ac de domesticis? nonne cautela ista humānum genus accusat, & hostilem cuiusque erga alterum animalum demonstrat?* Ita ferociter de humāna stirpe praeſumit pefſimus omnium Philosophorum.

V. Sed quae denuo adparet contradic̄tio? ad bella strenue gerenda, ad strages circumquaque edendas, fouendasque inimicitias omnes homines Hobbesius animatos esse cupit, vt ſic ſeſe ipſos tueantur, vitam, bonaque conſeruent: ex omnium tamen populum consenſu, & ex ipſa tristiffima experientia nouimus, ad deſtruendam ſecuritatem, ad vitam, bonaque perdenda nihil eſſe aptius, nihilque infallibilius, quam bellum vniuersale: pacem econtra, animorumque concordiam & propriae, & alienae vitae, ſecuritati, & bonis omnibus proſpicere. Qua ergo ratione Hobbesius ſatum hominum naturalem bellicofum nominare audet, qui, vt diu perſeueret, vtque in eo ſibi quisque optimo modo ad ſeſe conſeruandum prouideat, ipfemet peroptat, ſi bellum mutuam internecionem adferat, atque in omnimodam totius humani generis perniciem tendat?

VI. Et fane, ſi naturam hominis metiamur, ea potius ad pacem amplectendam inclinata, quam

ad

ad dissensiones coeco modo, bellaque suscipienda determinata esse conspicitur, tum ob vitam socialem, ad quam ex se se adspirat, tum ob perfectam similitudinem, quae nonnisi amoris, & amicitiae genitrix adpellari potest. Audiat Hobbesius Augustinum, qui, (m) cur Deus omnes homines ex vno propagari voluerit, rationem non aliam adsignat, quam *vt eo modo vobementius iis commendaretur ipsius societatis unitas, vinculumque concordiae, si non tantum inter se naturae similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur.*

VII. Quas vero continui belli, ac discordiarum causas adfert insignis noster iuris naturae contemptor, eae sunt nimium singulares, & imbecilles; non enim adeo frequentes possunt esse casus, inquit Cl. Finetti (n) *in quibus multi rem eandem adeo impense adpetant, vt ad eam sibi vindicandam pugnae discrimen subire quisque paratus sit; tot enim, & tam varia bona Deus in hunc mundum effudit, vt probabile non sit, valde frequenter contingere posse, vt multi eidem rei inbient &c.* Id quidem in brutis animalibus,

F 2

qui-

---

(m) L. XII. de ciuit. Dei. c. 21. (n) Princ. iuris nat. & gent. L. V. c. 1.

quibus ex Hobbesii sententia longe inferioris conditionis essent homines, videmus, quae in communibus pascuis id comedunt, quod sibi opus est, nec alia ab iisdem arcent: & nonne potius ratione, quam armis, quum nos natura inermes, nudosque considerit, decernendum foret, quantum quiuis pro sui conseruatione indigeat.

VIII. Oleum pariter, & operam perdit, dum falsa ratiocinatione sibi imaginatur, omnes *aequalibus* praeditos esse *viribus*, aut nemini deesse *laedandi voluntatem*. Quid enim, si natura quibusdam & corporis robur, & fagacitatem, animique acumen denegauit, quales utique homines pauidos pusillanimesque sub sole reperire est plurimos? quid? si dantur homines, qui, quamuis prae ceteris superbiant, aliosque despectui habeant, non minus tamen mansuetudine non carrent, ac ceteris benefaciendo sibimet ipsis complacent; plus quippe natura nos docuit mansuetscere, quam ferocire.

IX. Quam risu denique digna sunt, quae de cautelis hominum in suo *Leviathan* libro conglomerauit argumenta. Ergo & nunc in statu ciuili, quandoquidem eaedem cautelae adhibentur, per-

pe.

petuus est status belli ? ad quid vero sunt hae cautelae ? non propter aliud certe, quam quia, quo animo quisque sit comparatus, aut quis ut infidiator sit pertimescendus, ignoramus.

X. Iusto iam longior fui in statu belli hobbesiano recensendo, expugnandoque : nunc ad aliud principium de propria *conseruatione*, iureque plenissimo quibuscumque mediis illius gratia videnti confutandum adcingi ex ordine nos oportet. Optatur ipse, primum iuris naturae principium esse propriam conseruationem ; sed toto coelo aberrat. Facta namque hac hypothesi nec Deo aliquid debemus, nec aliis hominibus : aut si quid debemus, certe non alia ex ratione, quam quod conseruationi nostrae sit vtile, ac necessarium, quod est summe iniquum, ac ordini naturali, & fini hominis ultimo aduersum. Silentio obvolum, quae ex hoc principio sequantur absurdissima ; per se enim innotescit, nullam iam amplius fore actionem tam turpem, & flagitiosam, quae non titulo propriae conseruationis possit cohonestari.

XI. Exinde fas est, etiam dispicere, quantum a veritate discedat Hobbesius, dum ius vnicui-

que statuit quibuscunque mediis ad conseruationem suam vtendi, supremumque de re omni iudicium ferendi; hercle! ius istud, & arbitraria iudicandi potestas contradicit aliis ab ipso formatis principiis, quod luce est clariss. Nam subponit dominationem aliquam, & potestatem in alios, & tamen constanter adseuerat, neminem alteri subiectum esse, sed plena pollere auctoritate. Accedit, etsi quiuis vellet esse suus proprius iudex, non tamen omnia licita fore, ac honesta; falli quippe quis posset in iudicio ferendo, & ea sibi adjudicare, quae ad se conseruandum minus essent idonea.

XII. Sed denuo exorbitat, *liciti, ac illiciti regulas esse leges ciuiles autumando.* Prima huic thesis contradictione se prodit ex obligatione grauissima his legibus parendi etiam contra propriam, vt vult iniquus rerum censor, conscientiam; tali enim in casu fieri aliter nequit, quam, vt lex aliqua omnes constitutiones humanas praecesserit, quae boni, & mali ideam mentibus nostris impresserit. Aut dicat nobis Hobbesius, cur conscientia nostra reclamare, formidineque attonita reluctare opus habet in legum ciuilium adimpletione, si per eas nil, nisi quod iustum,

&amp;

& aequum est, nobis imputari possit? aut cur voluntas nostra, si lex humana *bomicidium* e. g. *adulterium* &c. faciendum iniungit, horrore percutitur? ni lex id prohibens praeexistat, nulla neque formidinis, neque conscientiae cruciatus ratio haberi debet. Sed ita est iuxta Hobbesium: etiam propria conscientia interdicente, lex ciuilis, malum praecipiens, exsequutioni est danda: ergo vel innitus legem naturalem repudiare haud valet.

XIII. Altera contradictionis pars se habet in ipsis Principibus legem ferentibus; vult quippe Hobbesius ante leges in republica firmatas actiones fuisse adiaphoras: sed hoc ipso in docendo vacillat. Probabimus: lex debet iuxta notiones priori sectione datas esse ad bonum commune, adeoque etiam illius materia, circa quam lex versatur. Iam vero res illa, seu materia, quam ad legem construendam adsumit Imperator, vel est ad bonum commune, vel non est, id est, ut loquitur Cl. Iord. Simon ( o ) vel *babet proportionem maiorem ad finem stabiliendae legis*, vel *non babet maiorem proportionem, sed est pro rorsus aequalis*

*ceteris, circa quas Princeps statuit legem : — si Princeps, aut Respublica rem quandam pro legis materia seligit, quia maiorem cum bona societatis proportionem habet : ergo ante electionem, ante legem, ante conuentionem erat bona, imo melior, quam ceterae res non electae. Ergo cum ceteris non erat indifferens. Si secus dixeris, remque illam cum ceteris indifferentem affirmaueris : ergo nec iusta erit, proportionataque legis materia, adeoque & lex non erit lex. Vides, credo, contradictionem, quae proposito dilemmate satis propalatur.*

XIV. Supereft, vt paucis quoque perstringamus Hobbesium, omne ius leges nobis impnendi ex sola Dei potentia irresistibili repetentem. \* Figmentum isthoc ab omnibus vt absurdissimum reicitur, quum meram tyrannidem praeferat, Deumque seclusa hac potentia, qua vel

---

\* Alii apud Puffendorfium ius ferendi leges in Deo deriuare volunt ex eminentia naturae diuinae. Puffendorfius ipse deducit ex beneficiorum collatione. Barbeyracus in sola creatione, seu dependentia naturali constituit; falsum tamen omnes docere ostendit Cl. Finetti. L. III. c. 3. de principiis iuris naturae, & gentium,

vel inuitum cogit ad obedientiam; omni potesta-  
te legislatoria exorbat. Dein si sola imbecillitas  
nostra in causa est, cur legi obsequamur, eidem  
potius omni conatu resistere cuperemus: ratio  
autem ad omne iussum paratos esse debere nos  
instruit, nec patiendi tantum imperii necessita-  
tem, sed morale debitum illius aequo animo ac-  
ceptandi, ferendique agnoscit.

### §. V.

## Spinosae ius naturae euer- titur.

### I.

**S**pinoſa, qui Hobbesii cacadoxa mirum in mo-  
dum excoluit, illud prae ipso speciale ha-  
buit, quod nonnisi vnicam in vniuersa natura  
*substantiam*, nempe Deum admitteret, cuius om-  
nia reliqua Entia effent meri *modi*, siue *acci-  
dentialia*. Fundamento huic, ex ipsius quidem  
opinione firmissimo, quod tamen in omni repu-  
diatur philosophia, totam molem, aedificiumque  
*iuris naturae* superstruxit, (a) ius omnibus in-

om-

(a) *Tra&t. Theol. pol.*, c. 16.

omnia relinquens. Ipsa verba habeto: *natura enim potentia*, inquit, *ipsa Dei potentia est, qui summum ius ad omnia habet.* Sed quia universalis potentia totius naturae nihil est praeter potentiam omnium individuorum (hominum.) simul beinc sequitur, unumquodque individuum ius summum habere ad omnia, quae potest, siue ius unius cuiusque eousque se extendere, quounque eius determinata potentia se extendit. Et quia lex summa naturae est, ut unaquaque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare; idque nulla alterius, sed tantum sui debita ratione; beinc sequitur, unumquodque individuum ius summum ad hoc habere. Ut ergo scias, quid iuris naturae nomine ipsi veniat, ipsum denuo praeceptorem nostrum auscultare iuuabit. Ita autem loquitur: *per ius, & instinctum nil aliud intelligo, quam regulas viriuscuiusque individuali, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipiens ad certo modo existendum, & operandum.* E. g. *Pisces a natura determinati sunt ad natandum, & magni ad comedendum minores: adeoque pisces summo naturali iure aqua potiuntur, & maiores minores comedunt: ergo & libertas nulla datur, & actiones hominum, vti*

piscium, necessario contingunt? ita omnino est, ait Spinoza; *nam ius naturale vniuersiusque hominis non sana ratione, sed cupiditate, & potentia determinatum est.*

II. Quae sit huius doctrinae adpendix, quaeque sequela, ut dicatur, opus minime est; per se enim clarum est, omnibus omnia in statu naturae licuisse, vti brutis, nullam iusti, aut iniusti fuisse distinctionem &c. Quod quidem ipse Spinoza haud intermisit magnifico verborum adparatu edisserere: *in statu naturali*, inquit, (b) *peccatum concipere non potuimus, nec Deum tanquam iudicem homines propter peccata punientem, sed omnia secundum leges vniuersae naturae communes fieri, & eundem casum (vt cum Salomone loquar) iusto, ac impio, puro, ac impuro &c. contingere, & nullum locum iustitiae, non charitatis esse.*

III. At, vt primum iustitia sese animis nostris insinuare quiuerit, adtente etiam notari metetur. En progressum & connexionem peruersi dogmatis: *Vt verae rationis documenta, hoc est, ipsa diuina documenta vim iuris absolute habent,*

---

(b) Ibidem. c. 19.

*rent, necesse fuisse, ait, vt unusquisque iuri sua naturali cederet, & omnes idem in omnes, vel in aliquot, vel in unum transferrent; & tum demum nobis primum innotuit, quid iustitia, quid iniustitia, quid aequitas, quidque iniquitas esset. Iustitia igitur, & absoluta omnia verae rationis documenta, & consequenter erga proximum charitas a solo imperii iure, hoc est, a solo eorum decreto, qui ius imperandi babent, vim iuris, & mandati accipiunt.*

IV. Quod obligationem iussis Principum obtemperandi concernit, nihil magis a nobis caueri vult Spinoza, quam ne eam absolutam credamus, sed tantum hypotheticam; ex spe nimirum maioris boni, propriaeque utilitatis, aut ex metu mali grauioris, & poenae infligendae. Ceterum si ex transgressione legis bonum nobis adcrescit, propriumque commodum exsatiatur; aut si absque metu poenae quis peccare valet, potentiae, ac iuri suo cedere minime debet, sed ea violencia, qua potest, mandato resistere. Imo aduerte, ne ullum quidem absque dolo promittere, se iure, quod in omnia habet, cessurum, nec quemquam promissis stare debere, nisi ex metu maioris mali, vel spe majoris boni. Hancque legem adeo

adeo firmiter naturae humanae inscriptam esse censuit philosophicum hoc Monstrum, *vt inter aeternas veritates sit ponenda, quas nemo ignorare potest.*

V. At vero neminem adeo bardum, ac in iure naturae tam inscitum merito dixeris, quam ipsum Spinosam, qui regulas morum tradidit falsissimas, & summa abominatione dignissimas; quis enim primo intuitu non comprehendat, eum omnia erroneis ideis confundere: ius cum potentia commiscere: potentiam supremi Numinis, & vires totius naturae creatae cum potentia singularum hominum comparare? aut vero numerus eiusdem conditionis esse queunt *ius*, quod *libertatem*, & *mores respicit*, & *leges iuste vivendi*, ac *potentia*, quae tantum refertur ad *vires physicas*, & *actiones necessarias*? & quae identitas fingi potest inter *potentiam increati*, ac *potentiam entis producti*, nisi tantum ea proportione, quod haec posterior ab illa sit, ac dependeat? quae item aequalitas iure statuenda venit inter *vires* totius naturae, ac *vires* cuiusuis individui, quarum nexus, & proportio tantum inter se differunt? ita nempe ludere gestit impietas falsis notionibus, ac principiis, vt iniquum systema, quod ex integro ruinosum est, compiletur. VI. In-

VI. In eo fabricando quidem Spinosa totus adhaeret Hobbesio, *ius omnium in omnia* firmando; ast sicut vterque tali adserto turpissime lapsus est: ita ille deterius propemodum denigrari meretur ob singularem contradictionem. Quaeso! quale ius est omnium in omnia, si vnumquisque ad vnum certum, veluti piscis ad natandum, determinatur? ita enim uero ius istud saluari non potest adempta libertate.

VII. Insuper si homini nulla admittitur libertas, sed sola cupiditate, ac potentia determinatur, nec iure suo cedere potuit latis in ciuitate legibus, nec iisdem se se aut *absolute*, aut *hypothetice* obligare, partim, quia cupiditas, ac potentia iuxta Spinosam est *naturalis*, adeoque *necessaria*: partim quia ad hoc, vt iuri suo quis cedat, liberrima electio requiritur; imo ipse Princeps ne legem quidem ferre posset, nisi mere tyrannicam, quia tali modo ius, hominibus proprium, sustolleret, & actiones, quae naturae eorum necessario essent commensuratae, impediret, ac improbaret.

VIII. Reponit Spinoza, Principes, etiam si persuasum habeant, nulla subditos suos indifferenteriae

tiae libertate gaudere, prudenter tamen, vtiliterque ad eos dirigendos legem ferre, earumque custodiae praemia, violationique poenas adiicere; norunt siquidem, eosdem subditos, quantumuis necessario velint, quidquid volunt, posse tamen & maioris spe boni ad earum custodiam abripi, & maioris metu mali ab earundem violatione absterreri, quemadmodum etiam bruta, quin villam habeant libertatem, & proemiis adlici, & suppliciis deterrei queant.

IX. Egregie: ergo homo brutis est aequiparandus, aut quemadmodum homo, ita etiam bruta sunt legis capacia. Quae haec philosophia? quaerere vicissim liceat nobis, num proemia proposita maius efficiant bonum, quam illud, quod voluptatem excitat, & inclinat, nec ne? ac praeterea, num poenae intentatae maius existimentur esse malum, quam carentia voluptatis, & violatio legis? haud credo; siquidem, ad quod homo natura rapitur, quodque ex sensu Spinosae ad propriam perseverantiam, ac conseruationem conductit, bonum maximum tuto credi potest: igitur neque proemiis, neque poenis Princeps suos subditos dirigere valebit, nisi aut stultum dicas, aut tyrannum, qui violentia ad

legis impletionem velit cogere homines, veluti bruta coguntur, ac a damnis inferendis arcen-  
tur. Heinc porro adparet, quantum etiam in-  
iurius sit Spinoza erga Principes, & Magistratus,  
qui legum impositione ordinem naturalem sub-  
uerterunt, quibusque nec obedire necesse est,  
nisi cupiditas, effroenis passio, ac potentia id ra-  
tum habeat.

## §. VI.

### Heluetii ius naturae ex- aminatur.

#### I.

**R**ubore suffundi oportet omnem cordatum  
hominem, qui praemissa Libertinorum iu-  
ris naturae principia perlegerit, ac totis artibus  
contremiscere, si peiora essent exspectanda. Et  
quid dubitamus ? Heluetium in rei testimonium  
sistendi est animus, virum summae improbitatis,  
qui singula recensita systemata in vnum confla-  
re, nouisque obscoenitatibus stercorare ausu im-  
puidentissimo sustinuit, factus exinde omnibus  
deterior, & vel ipso Epicuro voluptuosior. Au-  
scultemus, quale sit ipsi ius naturae. II. Ho-

II. Hominem initio considerat veluti machinam inanimem, omni vi actiuâ destitutam, aut certe a bruto haud differre arbitratur, quod praeter sensationem nec cognitione, nec libero arbitrio praeditum est, proindeque nec iure indiget, nec regula viuendi. Si tamen differentiam aliquam exigis inter hominem, & brutum, eam libenter concedit, atque adsignat in sola organisatione, atque in manibus potissimum, ac digitis, quibus dum carent animalia cetera, homine aliquantulum inferiora censenda sunt. Ita docet (a) prae grande hoc, & a suis adoratum philosophiae idolum, inquiens : *Omnis pedes brutorum vel terminantur in vngulas corneas, ut boum, & ceruorum, vel in vngues, ut canum, & leporum, vel in aculeos, ut felium, & leonum : baec omnis differentia organisationum inter manus nostras, & pedes brutorum.* — — *organâ enim brutorum priuant ea dexteritate necessaria ad instrumenta tractanda, & ad inueniendas artes, quae subponunt manus.* Praeclare : ergo ceterorum omnium, quorum homo est capax, capacia etiam sunt bruta, solis instrumentis, & artibus :

G

ex-

(a) L. de spiritu disc, I, c, 1,

exceptis, & homo, qui manus non haberet, haud quaque differret ab equis? absque dubio subinfert Heluetius: *nam si natura loco manuum, & digitorum flexibilium bracia nostra in pedes equorum formasset, quis dubitat, homines sine artibus, sine domibus, sine armis contra bruta solum in nutrimentorum capiendorum, & fugendarum ferocium bestiarum curam intentos, inter sylvas, & deserta fugitiuorum animantium instar circumerrare?*

III. Ex eadem perfectiori, quae in hominibus est, organisatione repetit maiorem aptitudinem ideas conficiendi, easque conseruandi: vim autem cogitandi iisdem minime tribuit, sed tantum sentiendi; aperte namque ait: (b) *inferro ego, quod omne iudicium nil aliud sit, quam sensatio.* Ac duplēm quidem distinguit facultatem sentiendi, cuius functiones c. I. ita describit: *duas in nobis babemus facultates, aut si dicere fas est, duas potentias passionis, quarum existentia communiter nota est. Una est potentia recipiendi diuersas impressiones, quas in nobis exteriora efficiunt obiecta; vocatur autem sensibilitas pby.*

(b) Loc. cit.

*physica: altera est potentia conseruandi impressiones, quas in nobis obiecta produxerunt, & adpellatur memoria; est autem memoria nil aliud, nisi continuata sensatio, licet debilior.* Talis est homo physicus secundum Heluetium: qualem autem esse desideret in genere morum, pariter dispiciendum est.

IV. Nempe hominem requirit absque iustitia, absque fide, absque religione; *principia enim religionis, inquit, non possunt nisi exiguo christianorum numero, per orbem disperso, convenire:* minime Philosophis, & sapientibus, qui infantiae praeiudiciis se minime abripi patiuntur. Stomachatur propterea vehementissime religionis Ministris, qui bonos mores, aequitatis, honestatisque normam incautis, ac rudibus instillant, ab hocque hominum genere pessimo maxime cauendum esse adhortatur.

V. Aequitatis itaque regulis reiectis statuit: *oportet edocere (homines) quod, quum insensibiliter rapiantur ad bonum, aut verum, aut ad parens, sola voluptas, & solus dolor sint soli motores uniuersi moralis, & quod sensus amoris sui ipsius sit sola basis, super quam fundamenta mora-*

*litatis utilis ponere licet.* Hoc est: homini non aliud est agendi principium, quam sola sensibilitas physica, & carnalis, quae vel voluptatem, vel dolorem producit, eidemque sensibilitati utilitatem personalem immediate coniunctam esse oportet; inquit enim: (c) *sensibilitas physica, & utilitas personalis omnis iustitiae auctores fuerent.* Atque subiungit: *voces boni, & mali inuentae sunt ad exprimendam sensationem voluptatis, aut doloris physici, quae nos ab exterioribus recipimus objectis.* Atque ut nemo dubitet, hos esse genuinos omnis iustitiae fontes, ait: *facile reperio fontem virtutum humanaarum: capio, quod sine sensibilitate doloris, & voluptatis physica homines sine desideriis, sine passionibus aequaliter indifferentes ad omnia non cognouissent utilitatem personalem, quod sine utilitate personali non essent adunati in societatem, non inter se conuentiones, & pacta fecissent, & nullam habuissent utilitatem personalem, consequenter nec fuissent actiones iustae, & iniustae; sic igitur sensibilitas physica, & utilitas propria fuere omnis iustitiae auctores.*

VI. To-

VI. Totum igitur ius naturae, quod nobis Heluetius sequendum proposuit, ad id potest redigi, quod sensibilitati nostrae physicae, siue voluptati, atque etiam vtilitati personali est conforme, illud omne est bonum hominum, aequum, & iustum : proinde dolorem, ceu malum maximum, nos fugere oportet. In primaeno ergo, & naturali hominum statu omnia licuerunt, omnesque actiones fuerunt indiferentes ; iniustae autem aliquae esse coeperunt post leges Principium, qui momentum possunt figere, quando actio cesset esse honesta. Ecce voluptatem Epicuri, Carneadis vtilitatem, Hobbesii & Spinosae ius in omnia !

VII. Haec quum iam in prioribus §. §. sint refutata, nihil agendum nobis supereft, quam, vt de natura hominis physica paululum cum Heluetio contendamus, idque per reflexiones tantum obuias ; non enim, quid sit ipsa anima spiritualis, quid vis cogitandi, quid libertas arbitrii, &c. quod dudum praestantissimi Philosophi prae oculis posuerunt, indagare pagellarum angustiae nos sinunt : examinabimus proinde tantum, & in nobismetipsis experiemur, num in sola sensatione externa sese sistat hominis cog-

tatio, isque a brutis nonnisi manibus, ac digitis discriminetur.

VIII. Id sane ridiculum esset adserere; experimur enim in nobis, si attentius id meditemur, praeter sensationem externam, & quam cum brutis communem habemus, longe aliam, & a priori diuersam sentiendi vim, ope cuius super ipsa obiecta externa, quae in organis nostris certas impressiones fecerunt, cogitamus, iudicamus, discurremus, atque vnum cum altero connectimus, aut ab eo disiungimus. Vis isthaec, quae in sola anima versatur, cum motione organica, & exinde percepto sensu, qui quidem etiam in anima contingit, sed tamen brutis aequa conueniens est, confundi minime debet; iste etenim aliter fieri nequit, quam prouti obiecta externa in organum agunt: vis autem illa longe excellentioris est ordinis, & quaquauerum fese extendit de ipsis rebus sensibilibus iudicando, ac ratiocinando. Audire desuper expedit Augustinum (d) sapientissime in hunc modum perorantem: *sed quia irrationalia quoque animantia viuere, atque sentire nemo ambigit, illud in ani-*

---

(d) L. de vera Relig. c. 29.

*animo humano praestantissimum est, non, quo sentit sensibilia, sed, quo iudicat de sensibilibus. Nam & vident acutius, & ceteris corporis sensibus acrius corpora adtingunt pleraque bestiae, quam homines; sed iudicare de corporibus non sentientis tantum vitae, sed etiam ratiocinantis est, qua illae carent, nos excellimus. Iam vero illud videre facillimum est, praestantiorum esse iudicantem, quam illa res est, de qua iudicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus iudicat: cur in aqua remum infractum oporteat adparere, quum rectus sit, & cur ita per oculos sentiri necesse sit: nam ipse adspectus oculorum renuntiare id potest, iudicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utriusque praestare.*

IX. Evidenter longe adhuc patescit, cogitationes, & reflexiones animae rationalis esse viuaciores, multumque superare illud animale *sentire*, si recogitemus, nos etiam iudicare, ac multo ratiociniorum nexu discurrere de rebus insensibilibus, quaeque in organa nostra ne minimum quidem impulsu faciunt; imo nos quoque eo magis intentionem a corporis sensibus retrahiere,

quo acutius rerum abstractarum ideis occupamur : igitur, quum sensibilitas physica, ipso teste Heluetio, se vltra res sensibiles haud extendat, cogitationis, iudiciique nomine venire haud potest sola sensatio, & nisi per iocum etiam brutis facultatem de rebus immaterialibus cogitandi concedere velit egregius isthic Philosophus, hominem ad eorum greges demandare nullo iure valebit.

## SECTIO TERTIA DE ERRONEIS QUORUM DAM ALIORUM IURIS NATURAE PRINCIPIIS.

### §. I.

#### De Principio iuris naturae in voluntate Dei, aut conuenientia cum sanctitate diuina constituto.

##### I.

**P**rincipium iuris naturae (quod vulgo cognoscendi principium adpellatur, eo quod officia omnia, quae iure naturali praescribuntur, per illud

illud sunt cognoscenda) genuinum vt sit, *primum* esse debet, & maxime *universale*, seu tale, in quod omnia, lege naturali praecepta, vel prohibita, tanquam in primogenium suum fontem, & rationem a priori reducantur, istudque in aliud resoluti nequeat, id est, vt inde possit absque mora discerni, quaenam lege naturae sint praecepta, vel prohibita.

II. In eo principio inuestigando, determinandoque plurimi, & inter ipsos praecipue Protestantes praestantissimi plurimam nauarunt operam; successu tamen, vt adparebit, minus felici. Errores proinde hac in parte commisso in praesenti detegemus, vt amplior sepe via aperiat ad genuinum, & adaequatum iuris principium in sectione posteriori declarandum.

III. Prima sententia est Samuelis Cocceii (a) *iussum* seu *voluntatem* Creatoris prounico, vero, & adaequato principio statuentis, adeo, vt sola voluntas Dei praecipientis, vetantis, aut permittentis aliqua bona, & honesta, vel mala, & in honesta efficiat.

IV. Ad hypothesis hanc ostendendam taliter procedit: Deus hominem libere creauit, pro sua.

(a) *Tract. de princ. iuris nat. q. II. §. 6. & seqq.*

sua videlicet, qua erga nos ferebatur benevolentia, & bonitate infinita; at, quemadmodum homo esse suum a solo Deo habet, ab eiusque libera voluntate accepit; ita leges quoque ab eodem Moderatore suo supremo recipiat, necessum est; non receperisset autem, si ante voluntatem diuinam exstisissent leges aliquae naturales: igitur sicut Deus tam in hominis productione, quam in legum impositione, seu norma viuendi praescribenda aequali gaudet libertate, ita leges pariter naturales a diuino dependent beneplacito, ac voluntate, & per consequens, ut infert §. 42, omnes actus humani per se indifferentes sunt, & quod aliqui mali sint, ex Dei demum vel permittentis, vel prohibentis, vel improbantis arbitrio oritur. Existimauit enim Cocceius, omnibus tamdiu competere liberam omnia agendi facultatem, donec a Deo prohibeantur.

V. Verissima quidem ex parte esset haec sententia, si ipsius auctor de lege Dei tantum positiva eam tradidisset; quum vero de omni lege indiscriminatim loquatur, ac propterea inter naturalem, positivamque nullam admittat differentiam, tolerabilis nequaquam censi potest. Quodsi adquiescere nolit Cocceius obstrependo,

fe

se legem naturalem haudquaquam repudiare, sed vtriusque solum legis exordia a diuina voluntate repetere, necdum satisfacit; scire etenim debuisset, Deum non pari modo, aequalique voluntate leges amplecti, easdemque nobis sequendas proponere, verum ad aliquas, positivas nempe, *libera* prorsus, ad naturales autem *necessaria* omnino voluntate ferri. Positiua itaque paecepta, quae Deus aut nunquam statuere, aut ab his etiam diuersa proponere quiuisset, pro adaequato suo principio agnoscunt diuinam, liberrimamque voluntatem; in naturalibus econtra haud ita res se habet; haec siquidem in ipso naturae ordine, ratione, ac sapientia Dei aeterna, omnia ordinante, ac immutabili fundantur, adeoque nec libere eligi, ac decerni, nec pro suo principio vniuersali diuinam possunt habere voluntatem.

VI. Aduersarium nostrum huius rei conuincere erit facilissimum; quidquid enim a libera dependet Dei voluntate, adeoque positivo ipsius decreto est firmandum, haud aliter hominibus communicari potest, ab ipsisque cognosci, quam per aliquam reuelationem: attamen certi sumus, ea, quae iuris sunt naturalis, semetipsis esse perspicua, & ab omnibus independenter ab illa reue-

uelatione, vt plurimum solum, capi, & addisci: igitur, quum iam in ipsis rerum essentiis continetur, voluntate Dei libera haud constituuntur; imo nec iisdem Deus quidpiam aduersum admittere vnuquam potuit, sed necessario actus quosdam ob intrinsecam eorum malitiam prohibere debuit, vti alios ob bonitatem pariter intrinsecam praecipere.

VII. Isque pessimus profecto, & abominabilis Cocceii error est, quod actus omnes ante diuinam voluntatem praecipientem, aut prohibentem indifferentes esse, ac nulos sine discrimine malos admiserit, qua quidem adsertione lubens adhaeret principiis Libertinorum, nullam actibus humanis intrinsecam honestatem, turpitudinemque adscribentium. Repugnat id porro sanae rationi, nobis dictanti, quod, sicut in rebus physicis dantur quaedam proportiones, & relationes naturales adinuicem, quae, si in iusta serie converuentur, bonum efficiunt ordinem, malum econtra, & disordinem causant, si rumpantur; ita etiam in entibus moralibus tales habeantur correspondientiae in ipsa rerum natura fundatae, quas inuertere summum nefas foret. Quis enim est, quem haud cognoscere existimes, Deum es-

se ipsa natura superiorem homine, ac hominem proinde Deo aliquid debere ? sed eo posito etiam actiones adinuicem proportionem seruare debent naturaliter, ita quidem, vt, ea intermissa, nec bonus ordo in natura morali continuari possit : heinc ergo etiam verissimum est, actiones, quae rectam suam seruant proportionem, relationemque ad sua obiecta, esse natura sua bonas, ac honestas, alias vero, ab illa proportione deflectentes, malitiam, ac deformitatem naturalem inducere.

VIII. Et sane tam evidens est, dari ante omnem diuinam voluntatem, aliquid prohibentem, actus quosdam natura sua malos, atque diuinis perfectionibus exesse repugnantes, vt illud citra vim, sibi met ipsi haud leuem inferendam negare nemo queat, e. g. *odium Dei*, quod eius repugnat amori, & immensae bonitati, *blasphemiam*, qua quis se se erigit erga dignitatem, excellentiamque diuinae Maiestatis, *mendacium*, quod summam veracitatem, *bomicidium*, quod supremum in creaturas dominium rebellem in modum destruit &c. tales actus nunquid Deus aliquando adprobare, aut gratis permittere unquam potuisset, nisi perfectionum suarum fuisset ini-

inimicus? igitur ex se, siue ab intrinseco, id est, ex ipsa natura, & ante omnem Dei voluntatem sunt mali, atque inepti, vt per eosdem homo tendat in Deum, tanquam finem suum ultimum; proindeque neque voluntas, aut decretum diuinum sufficiens est iuris naturae principium, quod erat demonstrandum.

IX. Aliud eorum principium est, qui illud ex conuenientia actuum humanorum cum Dei sanctitate \* repetendum esse censem; sed plane iisdem, quibus praecedens, vitiis laborat, vnde nec primum, nec vniuersale potest adpellari, imo nec naturae nostrae satis conueniens; Deus enim

\* Parum ab hac sententia differt illa, qua aliqui apud Wernherum ICtum Wittenbergensem in elem. iuris nat. c. V, §. 5. pro principio iuris adsignant *cultum diuinum*, tunc actus nostros iuri naturae congruere, aut aduersari credentes, si per illos Deus rite colitur, aut dehonoratur; subponit quippe, Deum solum esse normam actionum nostrarum, quod falsum esse ostendimus. Sed ex alia quoque ratione repugnat; nam, licet actus, per quem Deus colitur, sit bonus, aut vice versa; non tamen illico sequitur, iure naturae praeciput esse, aut prohibitum,

enim, quum sit naturae in immensum excellenterioris, quam homo, eius sanctitas iuxta Cl. Finetti (b) non potest esse norma actionum, ad humanae naturam pertinentium. Adde ex eodem, non pauca hominibus incumbere officia, queis non videtur sanctitas diuina exemplar ullum suppeditare posse, ut sunt gratitudo, reuerentia erga superiores, restitutio crediti, redditio debiti &c. quorum materia, vel occasio in praecellentissimam, summeque perfectam naturam cadere non potest.

## §. II.

### De Principio iuris naturae, ex socialitate humana de- riuato.

#### I.

**H**aec de principio *socialitatis humanae* sententia primitus ab Hugone Grotio propugnata, postmodum a Puffendorfio exulta prima quidem fronte sua plurimis visa est celeberrima.

vt

(b) Princ. iuris nat. & gent., L. VII, c. 2.

vt nec pauciores adepta sit adseclas, ac defensores; penitus vero inspecta ornatissimum figuramentum esse adparet, atque hypothesis, cui nemo, nisi qui eam minus pensauerit, adiensum proebendi facile animum habebit.

II. Speciosum isthoc systema in compendio ita se habet: homo animal, sui conseruandi studiosissimum, per se tamen egenum, & inops, aliorum sui similium adiumento ad tranquillum vitae statum promoueri debuit: quum autem & ii ipsi, qui aliorum necessitates adiuuant, istorum reciprocis auxiliis indigeant, inde mutuus non animorum tantum, sed & actionum externarum nexus, quem *societatem* vocamus, exordium duxit. Iam vero, *vt homines simul*, inquit Iamblicus, (a) & tamen sine lege vivant, fieri non potest; eo enim pacto maius ipsi damnum inferretur, quam si quisque singulatim vitam institueret. Ea igitur ipsa natura, quae homines in societatem compiluit, etiam legem, *vt vita socialis absque naevis esset, riteque conseruetur, constituerit, necesse est.* Atque huiusmodi quidem *societatis leges, quae docent, quomodo quis sese ge-*

(a) Protrept. c. 20.

*gerere debent, vt commodum membrum societatis subsistat, iuxta Puffendorfium (b) vocantur leges naturales.* Ex quibus sequens deducendum est iuris naturalis principium, *omnia, quae ad istam socialitatem necessario faciunt, iure naturali praecpta, quae eandem turbant, & abrumpunt, vetita esse.*

III. Quantumcunque vero Puffendorfius in exornanda hac sua, probandaque opinione laborauerit, ingentem tamen errorum cumulum confessit. Primus eiusdem lapsus in eo deprehenditur, quod socialitatem pro primo, & fundamentali naturalium legum principio posuerit, quae tamen alteri longe anteriori principio substernuntur, nempe amori sui ipsius, & sese conseruandi studiosissimo conatui, quo impellente homo ex doctrina Puffendorfii societatem praecise iniit; si enim talis amor se ipsum conseruandi haud daretur, neque ipfa societas esset necessaria, neque leges societatis vllae exsisterent: vnde consequitur, ante legem socialitatis custodienda praexsistere aliam, sese conseruandi, adeoque illam pro primo iuris fundamento nullatenus esse constituantur.

## H

## IV. Se-

---

(b) L. I, de offic. hominis, & ciuis, c, III, §. 8.

IV. Sequitur praeterea, quod, si societatis custodia esset prima lex fundamentalis naturae, homo in statu naturali, atque ante socialem congreßum nulla penitus lege fuisset obstrictus, quae est futilissima, atque deterrima doctrina Libertinorum. et si forte Puffendorfius arbitratur, tam statum esse incongruum, ac repugnantem, firmissime eidem adtestari possumus, neque absolutam fuisse necessitatem, quae homines ad socialitatem ineundam coegisset, neque etiam existare praeceptum in eadem constanter perseuerandi; fac enim, vnum tantum in hoc vniuerso hominem, aut plures etiam existere, sed viuendi ratione penitus inter se disiunctos, ac sibi inuicem ne quidem cognitos; quae quidem hypothesis non adeo absurda est, & exemplis probari potest plurimorum ex veteri testamento hominum, atque primitiuae ecclesiae Anachoretarum: an licuisset talibus viuere exlegibus? certissime quidem, si Puffendorfii opinioni adsentiamus; sed si rei veritatem inspiciamus, negari haud potest, homines ita in sua solitudine a se remotos ad eadem omnino erga Deum, & erga se ipsos praestanda officia obligari, ad quae tenentur societate fruentes: ergo ius naturae

turæ aliunde, quam ex regulis societatis est defumendum, & datur quoddam, ut inquit Philosophus, (c) *quod profitentur omnes natura communis iustum, & iniustum, etiamsi nulla societas adinuicem sit, nullaue pacio.*

V. Insuper, si de officiis, erga alios homines exhibendis, loquuntur, falsum omnino est, ea ex socialitatis iuribus ex integro fluxisse; præcepta enim, e. g. amandi, & non laedendi proximum, ut optime obseruat Finetti (d) *ante qualcumque societatem esse concipiuntur*, quum homines sese amare tenerentur ob naturae similitudinem; alios vero laedere prohibitum foret, non tantum propterea, quia sic societatis tranquillitas perturbaretur, sed præcipue, quia per hoc violaretur ius, quod habet quaelibet persona priuata ad sui conseruationem, nullusque sit, qui naturaliter in alterum possit prætendere dominium.

VI. Accedit, si, quae homini naturaliter agenda, vel omittenda sunt, ex solo socialitatis principio sunt haurienda, nos minimam callere iuris naturae partem, adeoque nullam percipere posse le-

gem de dilectione *Dei*, & *propria*, de *religionē* naturali, &c. quod tamen summopere, & prae aliis est necessarium, quum homo, antequam de societate ineunda cogitet, aliisue vllum obsequium deferat, Deum, tanquam suum principium, ac finem etiam ultimum, respicere, seseque ipsum, tanquam exemplar, & mensuram, qua diligendus sit proximus, inspicere teneatur ; quae enim horum officiorum connexio cum legibus socialibus potest fangi, id solum innuentibus, quomodo homo aduersum alium hominem se debeat gerere ? nulla oppido, ne indirecte quidem, ut censuit Puffendorfius ; nam lex diligendi Deum, & se ipsum, ut iam prius N. IV. insinuatum est, est distinctum naturae praescriptum, homines, etiam extra societatem versantes, obligans, & longe anterius omni officio socialitatis ; nam, quod ait Puffendorfius, *solam rationem in religione progredi ulterius nescire, quam quousque illa inseruit promouendae tranquillitati, & socialitati huius vitae*, admitti nullo modo potest, quia certi sumus, ipsa natura dictante, Deum colendum esse vel ea tantummodo ratione, quod nos considerit, variisque, & egregiis dotibus ornauerit.

VII. Quid ?

VII. Quid? quod principia socialitatis humanae ne illam quidem iuriſ naturae partem fatis adaequent, quae de officiis societatis per trahere videtur; quae enim ad socialitatis tantummodo bonum tendere videntur; propterea que jicit exstimirari queunt, vel maxime interim ipsi iuri naturali repugnare possunt. Vno id solum exemplo (plura inuenies apud Cl. Corbinianum Thomas (e) ob oculos ponam de mendacio, quod quandoque utile, quin & necessarium esse potest ad salutem corporis, honorem, resque familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, quo societatis bonum comparari posset; igitur, si quiuis legum socialium ductarum naturaliter sequi teneretur, quando id bonum familiae, aut ciuium exigit, mentiri non tantum non esset iniquum, sed honestum quoque, & necessarium ad societatis custodiam; falsum tamen hoc est, & ex mente omnium reiectum, atque altiori quadam naturae lege yetitum, quae maxime ab intrinseco tale, ne in casu quidem specialissimo permittit: proindeque ius naturae neque ex legibus socialitatis est mensurandum.

## §. III.

De systemate Perfectibilitatis humanae Wolfiano, & Conservationis naturae rationalis  
Wernheriano.

## I.

**D**uplex isthuc sistema ob magnam suam ad finitatem coniungere placuit, eodemque in §. examinare. Ut autem vtrumque intelligatur, hanc de priori synopsin habeto: Christianus Wolfius in instit. iuris nat. & gent. illud vniuersaliter bonum, ac iure naturali praeceptum esse defendit, per quod homo perficitur; illud contra malum, ac prohibitum, quod cadit in hominis imperfectionem. Quid vero per istam perfectiōnem, aut imperfectionem sit intelligendum, inferius dicendum reseruamus. Interea duas notandae sunt propositiones, quas tanquam vniuersalia iuris naturae principia enuntiauit; prima sic sonat: *committendae sunt actiones, quae ad perfectionem hominis, atque status eiusdem tendunt.* Cui conponat alia: *omittendae sunt ea actiones,*

*quae ad imperfectionem ipsius, & status eiusdem tendunt.* Ac huiusmodi quidem positiones idem significare volunt Wolfii commentatores, ac significant illae, quae vulgo hisce verbis exprimuntur: *fac ea, quae bona sunt: omitte ea, quae mala sunt.*

II. Balthasar Wernherus, in academia Wittenbergensi olim Professor, qui pro fine intrinseco legum naturalium *naturae rationalis conservationem* constituit, duas pariter sequentes positiones ut fundamentales suo systemati substravit, primam quidem adfirmatiuam, quam hisce verbis complexus est: *quidquid ita comparatum est, ut si ab omnibus hominibus omittetur, generi humano pereundum esset, illud per legem naturae a Deo praeceptum est, alteram negatiuam, qua adseruit: quidquid ita comparatum est, ut si ab omnibus hominibus fieret, generi humano pereundum esset, illud naturaliter a Deo prohibitum est.* Clarissimum autem hoc principium, subiungit apud cl. P. Corbinianum Thomas, (a) ac certissimum esse puto, & ex humanae naturae vel leui consideratione resultare, eiusque cognitionem in

---

(a) Ibidem, §. 7.

*omnes sanae mentis, etiam de vulgo, cadere, neque ad deducenda inde bominis officia magno acuminne opus esse; quippe eadem facilitate particularia quaevis, & specialia paecepta ex eo fluere, qua generalia. Neque haec deductio per longas ambages, & consequutionum seriem procedit: nuda subsumptione in quocunque obueniente casu, & actu meutis, breuiter in se, genusque humandum reflexu, opus est. Sed, quo iure haec scribere Iurisconsultus celeberrimus potuerit, inferius discutiendum. Nunc ergo de priori Wofiana hypothesi pauca adnotabimus.*

III. Cl. Finetti equidem censet, eam ex aſſe cum Hobbesii, ac Spinosae principio, ſolam utilitatem respiciente, conuenire, quam utilitatem Wollius honestiori tantum perfectionis vocabulo expressit; huius ſiquidem perfectionis nomine nihil aliud intellexit, quam bona animae, corporis, & fortunae, & de his ita loquitur: *sunt vero bona animi, quae animum, bona corporis, quae corpus, bona denique fortunae, quae ſtatum nostrum externum perficiunt. Quilibet itaque operam dare debet, ut ea conſequatur animi, corporis, & fortunae bona, quae in potestate ipſius ſunt.*

sunt. (b) Quibus profecto verbis nihil aliud, quam solam utilitatem, & proprium commodum intendisse videtur, non solum quoad bona corporis, ac fortunae, sed etiam quoad ipsa bona animi, quae quidem iuxta Wolfium sunt virtutes, attamen naturales, & ad statum nostrum exterum perficiendum idoneae. Scilicet, si Wolfii principium euoluatur, ait Finetti, (c) & cum idea, quam ipse exhibet, humanae felicitatis componatur, haec demum Wolfianorum dogmatum summa est: curandum cuique esse, ut intellectum suum scientiis, & artibus ornet, ac recte iudicandi habitu: ut voluntatem instruat habitu appetendi duntaxat vera bona, seu quae molestiam nullam, nullumque detrimentum sint paritura: ut corpus seruet incolume, eiusque robur, imo & pulchritudinem, si fieri possit, adaugent: ut statum denique suum semper meliorem reddat comparando opes, cumulando diuitias, commoda extruendo aedificia &c. Haec vero omnia, ut ex triplicis buius perfectionis consideratione, seu fruitione summam, ac permanentem capiant voluptatem, qua felix constituatur. Atqui si hoc sen-

su

---

(b) Iuris nat. §. 170. (c) Princ. L. VII. c. 5. fol. 54.  
in nota.

su Wolfius principium iuris naturae constitutum  
in memoratis duabus propositionibus, atque in  
hominis tantum perfectione naturali, & quando-  
que etiam minus necessaria, pro re certa simul  
habendum est, eum ab antecedentium Libertino-  
rum vtilitatis propriae principio haud declinasse,  
iisdemque, quibus ipsi, involui absurdis, atque  
contradictionibus.

IV. Praeterea, quamuis latissimum videatur  
hoc esse principium, coarctatur tamen ad illa so-  
lum officia, quae sibi quisque ipsi exhibere te-  
netur, nulla prorsus mentione facta de grauissima  
Deum colendi, proximumque diligendi obligatio-  
ne, quod quidem Wolfius ea ex ratione inficia-  
tur, quia homo ad perfectionem suam tendere  
minime potest, nisi simul gloriam Dei manifestet,  
aliorumque, quos proin diligere debet, mutuo  
auxilio adiutus sit. Sed quam sincere haec di-  
cat, videamus.

V. Primo igitur extra omne dubium est,  
etiam bruta, quamuis ratione, ac libertate ca-  
reant, dum bona sibi propria adpetunt, statum  
suum naturaliter perficere: proinde si tendentia  
ad perfectionem, hominibus congruam, est simul  
ma-

manifestatio gloriae Dei, etiam animalia irrationalia eo modo, quo id ab hominibus fieri solet, Deum glorificant. An vero quidpiam adeo absurdum cogitari potest, quam bruta Deum glorificare, nisi eo tantummodo sensu id adseramus, quod per bruta, eorumque diuersam naturam manifestentur ad extra Dei opera, proprietatesque excellentissimae, *sapientia, potentia &c.* quemadmodum ipsa scriptura de rebus quoque inanimatis inquit: *Coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius adnuntiant firmamentum,* (d) *hoc est, non ipsos coelos, non ipsum firmamentum ad surgere in laudes Dei; sed tantum motu duo in interrupto, ac magnificentia sua creaturas rationales incitare ad considerandam altitudinem diuinam, eamque magni habendam: ergo & homines, dum se se perficere satagunt, haud aliter glorificant Deum, quam quod suis operationibus ostendant, ac manifestent diuinam omnipotentiam, ceterasque perfectiones: at qui vtique non de eo est quaestio, vtrum ex hominum perfectionibus cognosci possint diuinae perfectiones; sed vtrum, si homo statum suum perficere adlaboraret,*

boret, naturaliter etiam ipsi innotescat, quod, & quo modo Deum debeat colere, ac diligere. Id vero minime exinde desumendum esse, adfirmare tuto possumus.

VI. Pari ratione Wolfianum principium neque sese extendit ad dilectionem proximi; etenim si Wolfium attendere lubet, ita ratiocinatur: *nemo hominum solus se, statumque suum perficere potest; sed unusquisque aliorum indiget auxilio, nec nisi coniunctis viribus perfectione ista baberi potest: ergo etiam quiuis hominum ad omnes, & singulos homines diligendos vniuersali praecepto obstringitur.* Maxima sane inest hunc argumento falsitas, & contradictio, quod ex eo satis est euidentis, quia homo ad perfectionem suam obtinendam omnium, ac singulorum hominum auxilio nec opus habet, nec eodem quidem frui potest; nam quisque tantum indiget aliquorum auxilio, nempe parentum, tutorum, aliorumque, qui ad status sui naturalis conservationem, & perfectionem aliquid conducunt: sed quis negare audebit, si ex mutua hominum dependentia, consortio, & auxilio sequatur vniuersale omnes, & singulos homines diligendi praeceptum, singulos etiam homines omnium aliorum

rum hominum auxilio indigere ; secus enim ad illos tantum amandos quis obligaretur, quorum operam actu ad sui perfectionem applicat? verius itaque argueret Wolfius, dicendo : homo ad sui perfectionem indiget aliquorum hominum auxilio ; ergo per se patens est, eos diligendos tantum esse, non alios, quod quidem Philosophus iste acutissimus minime censet concludendum : sed ipsa principii sui positione certissimum esse, conuincitur.

VII. Qualis autem amor proximi sequatur ex principio tam exoticō, perspiciendum similiter est, amor niempe non, qui iure naturali praecipitur, sed qui propriae vtilitati innititur ; natura siquidem vult, vt omnes aequaliter affectu naturali, atque intima erga eosdem propensione amore prosequamur. At homo, qui alium dilit, ea tantum ex ratione, quod sine ipso viuire, & sese perficere nequeat, hunc naturae instinctum haud sequitur ; verum amat ex tacita tantum quadam conuentione, si sibi sit vtilis, proinde plus, minusque alios prae aliis etiam diligere potest, quo plus, minusque obsequii ab illis retulerit : imo homo, qui solitariam duceret vitam, nec aliorum indigeret auxilio, ab eius-

modi

modi debito proximum diligendi prorsus immuni-  
nis redderetur. Sed de his satis. Plura desi-  
deranti adeundus Cl. Finetti, copiose Wolfianum  
systema perstringens. ( e )

VIII. De altera sententia, iuris naturae prin-  
cipium *in conseruatione naturae rationalis* con-  
stituente, aduertendum venit, eam iisdem om-  
nino vitiis laborare, ac praecedentem Wolfii, &  
de hominis natura physica, animalique potius,  
quam morali intelligi debere, quod ipse systema-  
tis auctor minime reticet, dum inter ea pracepta,  
ad quae totum ferme ius naturae reuocari posse  
censet, etiam ista collocat : *adnitere, ne corpori*  
*idonea alimenta defint.* et alterum : *ne vires*  
*corporis adtere.* Quorum praceptorum talem  
adsignat rationem : *quum laborat afflictum cor-*  
*pus, animus functiones suas minus obire potest.*  
*Quod si fingas ab omnibus hominibus fieri, eorum*  
*societatem destrui, necessum foret.* Deinde ne-  
que quis infirmo, effoetoque corpore multum bu-  
mano generi prodest ; quum & pleraque res cor-  
pore gerantur, & animi alacritas fulturis eius  
Iustineatur. Praeclare ! ergo animus noster eo

ala-

( e ) Princ. L. VII. c. 5. & L. I. c. 10.

alacrior euadit, quo plus cibi, potusque corpori conceditur; ille econtra languet, dum istud ieiuniis, vigiliis, omnisque generis castigationibus extenuatur, quod quantum experientiae reputuet, nemo non nouit, edoctus, nimiam alimenterum copiam nedum animi vigorem hebetare, nosque ad functiones nostras ineptos efficere; sed ipsas etiam corporis vires absumere, morborum diuersa genera causare, atque ipsum interitum nostrum adcelerare.

IX. Iactantia porro etiam singularis notari meretur, qua audacter dicitur, principium hoc esse clarissimum non minus, ac vulgo notum, quam etiam certissimum, ut absque ullo negotio hominis officia, etiam particularia quaeque, inde deduci queant. Perspexerit hoc fortasse filius Wernherus; sapientum autem nullus erit, credo, qui se inde doctiorem euasisse adfirmet; primo enim falsum omnino est, integrum naturae ius in sola creaturae rationalis (hoc est, hominum, de quibus utique loquitur Wernherus) conseruatione consistere, quod sane alium sensum haud admittere videtur, quam istum: *bomines iure naturae sunt obstricti, ut genus suum continuo propagare, ne conseruare studeant.* At vero

in eo principio nihil de actionibus hominum continetur ; quinimo genus humanum tam propagari, quam conseruari posset, quamuis omnes e. g. essent *Atbei, fures, adulteri &c.* Dein, quis si bi persuasum habeat, ex principio tam vniuersali omnia, etiam particularia officia erui facillime posse , quae sunt tam diuersa, nec omnibus hominibus, nec omni tempore communia ? illud demum etiam negari nequit, in ambabus Wernheri propositionibus insignem contineri falsitatem ; nam, quod iure naturae a Deo praecep- tum est, aut prohibitum, eoquod ab intrinseco vel bonum sit, vel malum, non solum ab omnibus haud decet omitti, aut fieri, sed neque a quodam in particulari ; igitur si illud esset iure naturae praeceptum, quod ita est comparatum, vt, si ab omnibus omittetur, humano generi esset pereundum, neque ab vlo in indiuiduo es- set omittendum : & si illud etiam esset iure naturae interdictum, quod ita comparatum est, vt, si ab omnibus fieret hominibus, humano generi esset pereundum, pariter nulli quoque liceret facere ; id vero, quum nequaquam existimat- rit Wernherus, consequens est, ambas proposi- tiones falsas esse, & heinc perperam pro prin- cipio juris naturae statui.

§. IV.

## §. IV.

De iuris naturae principio,  
a Christiano Thomasio  
proposito.

## I.

Christianus Thomasius in fundamentis iuris naturae, & gentium (a) vniuersale omnium actionum, primumque iuris naturalis principium in eo reposuit, per quod vita humana diuturna, & felix efficitur, vt proin ea tantum sint facienda, *quae vitam hominum reddunt & maxime diuturnam, & felicissimam: ea vero vivanda, quae vitam reddunt infelicem, & mortem accelerant;* quae autem sit vita felix, quaerenti respondet, eam esse, *quae simul maximam laudem meretur, & suauissime transigitur, & omnium rerum sufficientia praedita est.* Inde vero ad virtutem enitendum esse docet, vt vita sit felix; quippe, vt ait, *nec quiete viuere quis posset, nec laudabiliter, nec suauiter, nec sufficienter.*

I

cien-

(a) L. I, c. 6.

*cienter, nisi quis viuat honeste, decore, & iuste.*  
*Qua demum intentione haec tria sint coniungenda, ita exponit : quid iuuaret vita honesta sopia-  
 re ebullientes animi affectus, si non vita decora  
 alii moueantur, ut subueniant quotidianne indi-  
 gentiae, si non vita iusta impediatur, ne pacem  
 tuam turbent ? quid iuuaret, actionibus decoris  
 aliorum adiumenta procurare, si froena laxando  
 cupiditatibus te indignum redderes aliorum auxi-  
 lio ? si actionibus iniustis eos simul prouoces ad  
 nocendum ? denique quid iuuaret, actionibus iu-  
 stis neminem irritare ad inimicitiam, si non  
 actionibus decoris eorum excitares animum bene-  
 uolum, si actionibus in honestis perpetuo hostem  
 intra te sentires ? igitur nullus quidem in iure  
 naturae progressus fieri potest iuxta Thomasium  
 absque honesti, decori, & iusti cognitione, ac  
 consequutione ; horum tamen nulla esset ratio  
 habenda, nisi exinde laudem promereamur, vi-  
 tam suauissime transigamus, & omnium rerum  
 sufficientia obpleamur.*

II. Nihil sane discriminis esse videtur inter  
 haec Thomasii dogmata, ac ius naturae, ab Epi-  
 curo defensatum ; etenim quod is summum homi-  
 nis bonum in voluptate, vitaque iucunda collo-  
 carit,

carit, ille vero alterius nominis substitutione vitam suauem, aerumnis, ac miseriis expertem, laude, & rerum sufficientia plenam adpellarit, nihil, vt adparet, similius dici potuisset. Vterque pariter easdem virtuti aras erexerunt, Epicurus quidem, eam necessariam esse contendens, si inde voluptas aliqua, aut vtilitas percipiatur; Thomasius autem, alio ex motiuo eam haud admittens, quam vt aliorum auxilio fruamur, atque in vita dulciter protrahenda promoueamur.

III. Praeterea, sicut principium Thomasii ad praesentem solummodo vitam, & actus nostros externos respicit, neglectis omnino officiis erga Deum, & proximum, ita aequa bonis, ac improbis inferuit, quorum quiuis actionibus suis, siue bonae fuerint, siue malae, felicitatem suam, ac vitae diuturnitatem quaerere satagit. Imo eo semel admisso, inquit Finetti, (b) arcentur, deterrenturque homines a praeципuis naturae officiis, summeque reipublicae necessariis, quum peraque summum laborem coniunctum babeant, & aliqua exerceri non possint absque vitae discrimine; anne enim quis unquam, dum id patriae

*necessitas postulat, strenue dimicando vitam suam periculo, ac certae morti obiiciat, qui apud se met statuerit, sibi cuncta, aut ea sola praestanda, quae vitam suam faciunt maxime diuturnam, & felicissimam, eaque idcirco vitanda, quae mortem accelerant? quae, aliaque plura dum ex Thomasi sententia sequantur absurdita, audiri amplius haud dignus est.*

## SECTIO QUARTA.

DE

GENUINO IURIS NATURAE PRINCIPIO ET PROPRIETATIBUS LEGIS NATURALIS.

### §. I.

Primum iuris naturae principium in ordine naturali habetur.

#### I.

**P**raesens quaestio vti inter eas, quae in Doctorum disputationibus versantur, est dignissima, ita, vt rite pertractetur, haud paucas, nec leuiores obiicit difficultates remouendas,

das, quae quantum humana contorserint ingenia, & in quam varias opiniones sapientum distracterint animos, dici vix potest. Nolo equidem ullam amplius in particulari hypothesisin examinare, illo tantum, quod prae ceteris verius videtur, principio adsignato. Ut tamen id rectius fiat, recolendam praeprimis esse existimo illam legis naturalis definitionem, ab Augustino traditam, atque primae sectionis §. I. N. X. huius dissertationis insertam, qua sapientissimus ecclesiae Doctor legem illam describit, quod sit *voluntas Dei, ordinem naturalem seruari iubens, perturbari vetans*. Haec quippe sententia recepta, non erit adeo difficile, genuinum eruere principium, quod sit omnis iustitiae fons, & origo, undeque omnia pariter hominum officia in particuliari determinentur.

II. Adfirmandum itaque est, omnis moralitatis principium primum, & adaequatum constitui debere in *ordinem naturali*, siue, quod perinde est, tunc actionem humanam naturaliter bonam esse, si ordini naturali respondeat; malam vero, si a tali ordine deflecat.

III. Ordinem naturalem a Deo, & lege ipsius aeterna praescriptum esse, dubitari nequit, quum

is sit omnis boni consequendi medium vniuersum;  
 & efficacissimum; etenim Deus, qui omnia sa-  
 pientissimo consilio, summa potentia, & bonitate  
 condidit, optimum quoque singulis entibus finem  
 praefixit, ad quem vt pertingant, fieri nequit,  
 nisi singula pariter naturis suis competentem, &  
 ab infinita sapientia praeuisum, ac constitutum  
 ordinem obseruent; vndenam enim tanta rerum  
 omnium in hoc vniuerso concordia, harmonia,  
 ac perennitas deriuanda venit, quam ex summo  
 ordine? aut vnde ex aduerso confusionem oriri  
 existimes, quam ex ordinis neglectu? igitur,  
 quemadmodum in hoc vniuerso, & natura re-  
 rum physica finis intentus obtineri nequit, nec  
 vlla creatura bona dici potest, nisi ex ordine;  
 ita quoque in genere morum nihil boni reperire  
 datur, nisi bonus, & naturalis ordo obseruetur.

IV. Quum igitur, quod mores hominum con-  
 cernit, vt illos bonos, malosue esse sciamus, id  
 vnicce ex ordinis obseruantia, aut neglectu sit di-  
 mensurandum, sequitur, ordinem esse illud prin-  
 cipium, ad quod omnes actus nostros debemus  
 conformare. Et quanquam saepenumero dixi-  
 mus, dari bonum, & malum ab intrinseco, adeo-  
 que virtutem, & vitium ante omnem legem,

quid-

quidpiam praecipientem; aut prohibentem; bonum tamen ipsum haud esset, nisi ex ordinis custodia, nec malum, nisi ordine deserto: heinc ordo est illa regula, norma, ac principium, ex quo actibus humanis sua honestas, & iustitia comparatur.

V. Si insuper ad ea nos reflectamus, quae lege naturali siue praecipiuntur, siue prohibentur, haud aliud praeceptum, aut prohibitum esse intelligimus, quam illud, quo bonus, imo optimus creaturae rationalis, & hominum potissimum, de quibus sermo est, ordo conseruetur; praecipitur quippe illud omne, quod ex se bonum, & ad rationabiliter viuendum est necessarium; illud econtra prohibetur, quod ab intrinseco malum est, eamque viuendi rationem impedit, ac pessumdat. At vero neque bonum cogitare possumus, quod ordine careat, neque homo rationi suae conuenienter viuere poterit, nisi rectum, proportionatumque ad singula obiecta ordinem teneat: igitur malum quoque oriri necesse est, vbi ordo deest, ac proinde omnis honesti, ac inhonesti ratio ex ordinis siue custodia, siue contemptu est deducenda.

VI. Illud fortassis contra haec tenus adserta  
Inferri posset, Deum aut non curare, si ordo na-  
turalis negligatur, aut eum homini esse ignotum  
penitus. Sed primum repugnat supremi Numi-  
nis perfectionibus, secundum quas hominem ra-  
tionalem creavit, & ad finem optimum direxit,  
ad quem propterea ut adnitamur, etiam vult, ut  
proinde stricte prohibere censendus sit, ne ordi-  
neni, sapientissime constitutum, transgrediamur,  
aut ab illo recedere audeamus. Alterum aequum  
officit perfectionibus, & proprietatibus essentia-  
libus hominum, quales sunt intellectus, & vo-  
luntas ; intellectu siquidem & verum, & bonum  
cognoscimus, adeoque nec ordo naturalis quem-  
quam latere potest : voluntate vero ad illud bo-  
num adsequendum ferimur. Certissimum enim  
uero est, nos neque indigere talibus potentias,  
nisi ad bonum cognoscendum, atque ad illud so-  
lum amandum nobis essent concessae, quum, si  
secus, absque ullo praemisso intellectus ratioci-  
nio voluntas in quocunque obiectum coeco mo-  
do ferri posset.

VII. Deus itaque, qui omnes res sapientia  
sua ordinauit, etiam homini sumpsum constituit or-  
dinem, eumque triplicem potissimum, ex quo,

ve-

veluti omnis honestatis principio, omne officiorum genus deriuatur. Triplex ille ordo se habet *erga Deum, erga se ipsum, & erga proximum,* quorum primus non abs re vocari meretur ordo *inferioris ad superiorem:* alter *sui ad se ipsum,* quum & homo sibi ipsi de bono vndeque prospicere teneatur: tertius *demum aequalis ad aequales,* seu *alios homines, eiusdem naturae confortes.*

VIII. Si vero iam Deum consideramus, eum cognoscimus esse Ens summum, perfectissimum, summe bonum, a quo omnia pariter bona habemus, atque plurima alia sperare possumus. Exinde autem oriuntur in nobis ideae *submissionis, fidelitatis, & cultus diuini,* quae denuo omnia singulares sibi virtutes connexas continent; *submissio* siquidem a nobis reposcit reuerentiam, & omne obsequii, & honoris genus, Deo deferendum, vetat insuper eius sanctissimum nomen, & perfectiones blasphemare, aut in vanum adsumere, *fidelitas* spem generat, gratitudinem exigit, ac honores diuinos, ipsi soli exhibendos praecipit, *cultus* demum religionem, & quidquid ad eam pertinet, mandat: quidquid econtra illam vitiosam reddit, inhibet.

## IX. VI-

IX. Ulterius homo se ipsum intuendo generice aduertit, bonum sibi esse consicendum, & malum fugiendum. Quoniam vero diuersis constat partibus, variisque instructus est facultatibus, quarum aliae sunt aliis praestantiores, inde etiam his potiores partes deferendas colligit, quam illis, adeoque & animam, cui corpus subest, maiori in pretio habendam esse. Exinde autem quod bona pariter animae nobilia sunt bonis corporeis sequatur, manifesto eruitur, amorem boni sensibilis in omnibus circumstantiis debere esse rationi conformem, ex quo plura itidem officia, ad virtutem *temperantiae* pertinentia, determinari queunt; haec siquidem inferiores animi affectus, & concupiscentias sensibiles moderari debet, ne illis ex fine malo vtamur, sicutque nobis non bonum, sed mala plurima congeramus, quae tum rationalem nostram animam dedecent, tum ipsum etiam corpus fatigant, vires, & sanitatem auferunt. Fugiendum proinde docet vitium ebrietatis, omniumque sensibilium delectationum, nisi in quantum inferuiunt propagationi humani generis.

X. Quum demum homo sibi solus haud sufficiat, sed pro sui conseruatione, & perfectione alio-

aliorum quoque indigeat auxilio, atque ipsa natura ad societatem destinatus sit, *iustitiam* seruandam esse, & *charitatem* erga proximum exhibendam addiscit; hoc namque ordo aequalitatis exigit, & naturae similitudo; unde varia virtutum genera enascuntur, mutui obsequii, amicitiae, compassionis, & benevolentiae &c. *Ordo* igitur, concludo cum P. Iord. Simon, (a) quem praescribit lex aeterna, & naturalis, est amor Dei, proximi, & mei ipsis, & si hic amor ordinatus est, omnes buius amoris actiones bonae, & virtuosae sunt: si autem ordo amoris turbatus, actiones ex eo fluentes malae, & vitiosae sunt. Ordo igitur etiam est omnis iustitiae fons, & origo, ac proinde primum nostrarum actionum principium.

## §. II.

### Lex naturalis aeterna est, & a Consilio distinguenda.

#### I.

**L**egem naturalem aeternam esse, non solum docuit Augustinus, eiusque insignis discipulus S. Thomas Angelicus, sed ipse etiam eloquentis-

(a) C. XI. cit. de iure nat. sect. IV. §. 3. (1)

tissimus Cicero id hac graui oratione complexus est : *banc video sapientissimorum sententiam, legem neque hominum ingeniiis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed naternum quidam, quod uniuersum mundum regeret, imperandi, probibendique sapientia.* (a) Thomasius vero. (b) hanc legem aeternam ad scholasticorum commenta amandat, & cum gentilium doctrina de *materia prima*, Deo coaeterna, vel de *fato* conuenire confidenter adserit, quae quidem audacter scribendo nihil aut ineptius, aut iniquius, ac impudentius dicere potuisset.

II. Scire etenim prae reliquis debuisset, Deo nihil conuenire in tempore, sed omnia in aeternitate esse praesentia : satis praeterea etiam constat, hanc legem dici aeternam non ex parte rerum agendarum, sed ipsius Dei, cuncta ab aeterno disponentis, ac ordinantis : igitur. quum lex isthaec aeterna iuxta Augustinum ab ipsa diuina voluntate, rectum ordinem praescribente, haud distinguatur, vti voluntatem in Deo, ita legem pariter aeternam dici oportet ; frustra quippe Thomasius existimat, voluntatem illam aeternam,

&amp;

---

(a) L. II. de leg. (b) L. I. iuris divis. c. 1.

& decretum, quo Deus ab aeterno naturae ordinem constituit, legem dici haud posse, quamdiu nullos haberet subditos, quos ad sui obseruantiam obligaret; nam, ut actualiter lex obliget, de ipsius quidem essentia nequaquam est, sed tantum, ut ex parte Legislatoris vim habeat obligandi, pro eo videlicet tempore, quo subditi exsisterent. Ita lex e. g. *non furandi* &c. a tota aeternitate vim obligandi habuit, quamvis nulli exstiterint homines, qui ea obligarentur. Res declaratur exemplo Principis, legem pro conciliandis primum subditis conscribentis, quem veram tulisse legem, nem non dixerit, quamvis nullum actu obliget, sed tunc primum obligare incipiat, quando veri adsunt subditi.

III. Ut autem maxima infiducia legem Dei aeternam negavit Thomasius, ita non minus impie se gessit, hac scholasticos nostros injuria adficiendo, ac si analogum quidpiam cum doctrina gentilium tradidissent; quis enim vñquam eorum adeo desipuit, ut *legem aeternam* extra Deum, & ab ipso independentem existimatet, quemadmodum Stoici, praeter Deum materiam quamdam aeternam, & inproductam admittebant? aut quis vñquam somniauit, hanc legem in-

inani *fato* adsimilare? quod equidem ex gentiliū opinione supra Iouem constituebatur, eumque ad id tantum efficiendum compellebat, quod *fato* erat determinatum: ita sane de scholasticis sensisse censendus est Thomasius; sed perperam; eorum namque nullus vñquam aut legem a Deo diuersam, aut ipso superiorem esse credit, sed constans est doctrina, esse ipsam summam diuinam rationem, ac voluntatem Dei, quā humānum genus, omnemque creaturam rationalem regere ab aeterno decreuit,

IV. Quod si subinferat grandis Philosophus, Deum vere ex mente Theologorum *fato* quodam regi, quum aliud efficere haud possit, nisi quod lege aeterna est praefixum, ac constitutum, respondebimus, Deum quidem ea efficere, quae sua lege aeterna sunt decreta; sed veluti *fato* nequaquam obligari, tum quia a libera sua voluntate pendebat, mundum, ac, quae in eo sunt, condere, vel non condere, tum etiam, quia lex aeterna a sua suprema, ac sapientissima ratione haud discrepat, contra quam agere, aut quidpiam, quod suae menti, & sapientiae esset aduersum, decernere nullatenus potuit. Ea igitur tantum *praecipi* erat opus, que iuri naturae

rae erant consentanea ; alias malum aequa, ac bonum sequendum proponi quiuisset : id tamen non fati cuiusdam necessitantis, sed bonitatis, ac sapientiae infinitae character est, ac indicium.

V. Supinus aliorum, quin & ipsius Thomasi error est, ius naturae non legibus proprie dictis accenseri debere, sed consiliorum loco habendum esse, quod si verum esset, nulla iam amplius hominibus incumberet obligatio vitam honestam in statu naturae ducendi, quum quiuis perspiciat, liberum cuius est, num consiliā sequi, ea que adimplere velit, nec ne eo porro dum deuenitur, nec ullum vitiis repagulum obponi potest, nec illa erit virtutis aestimatio ; commune enim mortalium malum est, vt, nisi leges obfident, semper in deterius ruerent.

VI. His vero minime mouentur egregii iuris naturae restauratores, qui ex Thomasi turbido fonte biberunt. Primo dicunt : ne concipi quidem potest, qui Deus naturae auctor legem nobis imponere quieverit ; lex namque vera yt sit, a Principe lata esse debet, ac Domino legitimo ; at ratio, sibi relicta, Deum, ac Creatorem nostrum, tantum abest, vt *Dominum, ac Legis-lato-*

*latorem agnoscat, vt eum potius veluti Patrem, omniaque praecepta moralia vt *confilia, monitae que paterna* consideret.* Praeclare sane nos instruunt hi Philosophi: ergo Pater filiorum suorum dominus haud dici, nec iussa Patris pro veris imperiis haberi merentur? id quidem nemo sanae mentis imaginari sibi poterit, praesertim, quum confilia dare cuiusuis sit sapientis: Parentibus autem iubendi auctoritas, imo & transgressores filios poenis plectendi potestas communis omnium hominum sensu tribuatur.

VII. Reponunt equidem, qui speciosum suum de iure naturae systema nobis explicant, patris iussa filiorum tantum utilitatem semper, aut pleniusque respicere, ideoque haud legis, sed moniti, ac confilii nomen participare; at eo ipso parenti obligatio non tollitur, sed augetur; quiuis enim Legislator, qui omnimoda auctoritate pollet, legibus, a se propositis, subditorum suorum commodum, utilitatemque respicit, ac propterea, ut prompte iisdem obediatur, simul praecipit.

VIII. Insurgunt denuo hi Libertini, neque poenam aliquam legibus naturalibus adiunctam esse. Quod quanta argutia probent, ne satis quidem

dem admirari quis potest. Omnis poena, inquiunt, debet esse visibilis : poena autem omnis est naturalis, malaque, quae Deus ordinavit, iuris naturae transgressoribus, occulte veniunt. Verum quid sibi velint discursu hoc obscurissimo, non nisi Oedipus diuinat. Quaerere ex aduertariis heic oportet, num poena naturalis non sit vera poena, & quidem legibus naturalibus, quarum transgressioni infertur, satis congrua ? illa porro poena, quamvis sit inuisibilis, & occulta, ut volunt, nonne tamen vel maxime sentitur in cordibus sceleratorum, quorum animi non tantum de commisso crimine, sed & de futuro vitae statu vel maxime cruciantur ? sed iam denuo interrogandum est, num talis poena a Deo sit, nec ne ? si primum : tunc fabulantur, quicunque nullam naturalibus legibus adiunctam esse poenam, persuadere nos volunt ; si alterum dicant : tunc Deum impotentem faciunt, eidemque minus iuris attribuunt, quam humano cuius Legislatori, qui praeter leges ferendi legitimam auctoritatem potestate quoque gaudet inobedientes puniendi, atque hoc ipso hi Philosophi gentilibus sunt multum deteriores, qui Deos suos humanorum scelerum vltores esse, ac vindices non dubitarunt,

IX. Vnum adhuc desiderari contendunt, quo minus pro veris legibus haberi queat ius naturae, nempe illius publicationem; *Philosophus enim*, vt ipsi aiunt: *ignorat publicationem iuris naturalis*. Siccine? ergo Philosophus neque pro consiliis ius istud reputabit, quum non solum leges, sed & consilia publicari oporteat, vt sciantur. Plura addenda non sunt ad errorem hunc conuincendum, quem alibi satis exagauimus.

### §. III.

## Lex naturae vniuersim omnes obligat.

### I.

**I**nter Legis naturae proprietates essentiales praecipuum, ac fere principem sibi locum vendicat obligatio, quae illius veluti vinculum est, creaturam rationalem ad legis obseruantiam ita stringens, vt, quotiescumque fiat transgredio, etiam culpae reatus interueniat, & naturae Conditoris indignatio incurritur; ius siquidem naturae ne legis nomine dignum foret, nisi stri-

ctam

Etiam pariter obligationem coniunctam haberet., rei huius veritas non legum tantum humana- rum constitutione patescit, quae, quum conscientias nostras ligent, argumento sunt euidentissimo, multo magis obediendum esse legibus Creatoris, sed ex ipso etiam animi pauore, quo concutuntur, qui se iuris naturae, legumque aeternarum reos esse agnoscunt.

II. Non tamen defuere, qui sacratissimum hoc iuris naturae vinculum aut penitus disrum- pere, aut illo saltem non tam arcte nos constrictos esse docuerunt. Eminere inter eos videtur Hobbesius, cuius perniciosissima sententia est, naturae leges quidem semper obligare in conscientia, id est: quoad animi dispositionem eas seruandi, quotiescumque earum obseruantia utilitatem con- ferat; non semper autem quoad ipsum actum externum, eo praesertim in statu, in quo a plu- ribus non obseruantur; quum sic obseruantes non obseruantibus cederent in proedam.

III. Paradoxum hoc commentum omnino ex- plodendum est; primo etenim obligatio, quae ex lege naturali ortum trahit, non magis ad ani- mi dispositionem pertinet, quam ad ipsum actum.

externum ; imo ad hunc plerumque magis, quam ad illam, praesertim si de officiis sermo est, quae erga alios iure naturae sunt praescripta. Deinde quum legis obseruantia nequaquam ab utilitate nostra dependeat, sed ideo a supremo Legislatore exigatur, ut rectus ordo teneatur, eadem nos obligandi voluntas semper in ipso perseuera-re censenda est tum quoad internum, tum etiam quoad actum externum, nec ea vllatenus immutatur, quamuis a nonnullis, quin & a pluribus lex ipsa violetur, neque timere queunt legis obseruatores, ne in proedam cedant illam non obseruantibus, quod stulte iactauit Hobbesius, quia sic potius aliorum benevolentiam promerentur, aut si etiam iniuste vim patiantur, iure defensio-nis vti possunt, ac debent.

IV. Heic addendum venit, in hypothesi tam falsa ipsum ius naturae ex integro eneruari, ac e medio tolli ; cessante namque obligatione, ipsam quoque legem perire necessum est : igitur, si ex eo, quod a paucis, ac forte etiam a pluribus naturae lex haud seruetur, eam seruandi obligatio intereat, nullam pariter eam legem esse dicendum erit. Hoc autem stabilito, de pleris-que etiam legibus ciuilibus actum erit, quum & eas

cas a plurimis contemni, ac impune violari, certum fit, illaeque proin non minus, quam ipsa praecepta naturalia vim obligandi deperderent. Quod si vero, inquit Cl. Finetti, (a) nibilominus obligandi vigor in legibus ciuilibus perseverat, quanto magis idem dicendum est, atque censendum de legibus naturalibus, quae legum ciuilium fundamentum sunt, & munimentum.

V. Minus recta, & aequa peruersa aliorum opinio est, obligationem naturae leges exsequendi vnicice deducendam esse ex metu mali, quo efficitur, ut homo desideria sua moderetur, froonet, reprimatque, eoque veluti compede detineatur, impedia turque a mali prosequutione. Ita enim uero docet Ioannes Iacobus Schmausius, iuris Professor Goettinganus, (b) nullam omnino aliam obligationem legibus naturae vindicans, nisi metus alicuius mali se se in animum hominis insinuet, illumque tangat, ut voluntas, ipsum sentierit, ab ipso moueri se finat,

VI. Praesens systema, quod recens non adeo est, sed vt in praecedentibus vidimus, ip-

(a) Princeps L. X. c. 5. (b) Libro, cui titulus: neues Systema des Rechts der Natur.

sis etiam gentilibus Libertinis commune fuit, absurdum plurima, & consectaria abominanda continet. 1mo. Iuris naturae existentiam euertit; si enim nullus esset metus, neque obligatio aliqua subponitur: obligatione vero sublata neque licitum datur, neque illicitum. 2do. Mali metus actum quidem externum impedire potest; minime vero ipsum animum ab iniusti cupidine coercere. 3to. Ex tali sententia homo a brutis haud differret, quibus proprium est, ut ex solo poenae metu actus quosdam ponant, aut omittant. 4to. Neque metus sufficiens est medium coercendi hominem, ut a malo declinet; nam homo ex metu poenae malum fugeret, quod ea vel a Principe, ac Magistratu esset inferenda, vel ab ipso Deo post hanc vitam irroganda; primum absque difficultate deuitabit impius, qui sua calliditate, dum scelus peragit, impune latebit Principem; nec vero alterum iuris naturae violatorem multum cruciabit; siquidem nullo intrinsecae aequitatis sensu est proeditus, ac, sicuti in hac vita feliciter se dies suos transigere posse aduertit, ita nec de futuro statu erit sollicitus.

VII. Intrinsicam pariter legibus naturalibus obligationem sustulere, qui primum eiusdem fundatum in ea, quam speramus, felicitate constituere haud dubitarunt; eo namque posito, si nihil felicitatis ex legum naturalium obseruantia nobis sperandum foret, neque obligatio vlla datur his legibus parendi, proindeque nec discriminem admittendum esset inter actiones iustas, ac iniustas, sed omnes indiscriminatim essent indiferentes: at potius contrarium constat, nempe nos Deo cultum, & obsequium tanquam naturae Conditori debere, quamvis ne minimam quidem exinde felicitatem sperare deberemus, aut supplicium timere: igitur unicum nos obligandi fundatum perperam in sperata felicitate collocatur, quae potius virtutis exercitae, & iuris naturae fideliter obseruati est merces, subponens meritum, ac obligationem. Dubitas? en! filius obedire tenetur patri, quamvis nec haereditatem, nec aliud sperare queat proemium: quanto igitur magis Deo, legem naturalem ferenti, obedientia erit deferenda ob plurima, quae in nos congeffit, beneficia, quamvis nos beatos post hanc vitam facere minime intenderet? igitur principium nos obligandi longe aliud esse debet,

idque in ipsa legē fundatū, ab eaque prorsus inseparabile, quod actiones ab intrinseco bonas praecipiat, malas vero, & intrinsecam turpitudinem habentes prohibeat; quippe, vbi verum adest ius, ac lex, ibi strictam quoque, verissimamque obligationem adesse censendum est.

VIII. Hoc demum de obligationis istiusmodi vinculo tanquam pro re exploratissima habendum est, quod sit vniuersale, subditos aequē, ac summos Imperantes ad legis naturae custodiā adigens, quod quidem Pseudopoliticorum quidam inficias ire cogitarunt; sed immerito, ac conatu admodum frustraneo; nam ad honesti normam quuluis mortallum sese adcommodare tenetur, sicuti ad turpe, ac in honestum fugiendum nemo eximitur: vnde Reges, ac Imperantes, quamuis ceteris hominibus, ac iis praincipue, quibus dominantur, sint multum sublimiores, quoad legis tamen aeternae impletionem a ceteris hominibus ob naturae similitudinem haud differunt, sed aequē, vt alii, diuinæ subiacent voluntati, ac imperio. Huc spectare videtur illud Poetae:

Regum timendorum in proprios greges,  
Reges in ipsos imperium est Dei.

Haec-

Haecque sola ferme inter leges naturales, aliasque positivas est differentia, quod universalitas prioribus sit adeo propria, ut nulli alteri, praesertim humanae legi, possit conuenire.

## §. IV.

### Lex naturae est immutabilis.

#### I.

Tanta est positionis huius certitudo, ac evidenter, ut ea nec gentilibus fuerit incomperita; ait namque Philosophorum Princeps: (a) *quidquid est ex natura, immobile, seu immutabile est, & nullibi non eandem vim obtinet, quemadmodum ignis & heic, & apud Persas pariter vrit.* Romanus quoque Orator Cicero in deperdito, quem de republica conscripsit, opere ita fatur: *buic legi, aeternae scilicet, nec abrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* — — *Sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna, & immutabilis continebit.*

#### II. Ra-

(a) L. V. Eth, c. 7.

**II.** Rationes porro huius immutabilitatis **ex ipsa legis naturae notione deponuntur**; lex enim isthaec, vt saepius inculcatum est, actus praecipit ab intrinseco honestos, illos vero prohibet, quibus inest naturalis turpitudo, quae nequidem ab ipsis separari potest: summe autem repugnat diuinis perfectionibus tale quidpiam admittere, quod intrinsecam coniunctam habet malitiam, aut illud haud praecipere, quod ordini naturali ex esse est consentaneum, naturaeque rationali essentialiter competit; nihilominus tamen, si lex naturae esset immutabilis, ordo iste funditus euerteretur, & boni essentialis loco malum agere, naturamque rationalem naturali turpitudine dehonestare licetum foret: ipsis proinde legis essentia, ac notio exigit hunc immutabilitatis characterem.

**III.** Insuper si lex naturalis mutationi esset obnoxia, ideo id fieri oporteret, aut quia non amplius esset ad bonum commune, aut quia tantum ad tempus fuisset lata, quo finito eo ipso etiam eam extingui necesse est, aut quia demum a superiori abrogaretur, aut contraria consuetudine foret praescribenda; nihil plane horum in iure naturae est metuendum; nam lex naturalis non

po-

poteſt per ſe iſam deſinere, quia neque ad tem-  
pus lata eſt, ſed in perpetuum, & ab aeternō;  
neque poteſt vlonon tempore conducere ad bo-  
num commune naturae rationalis, quum praecipiat ea tantum, quae illam ab intrinſeco de-  
cent, ac perficiunt, & ex aduerso illa prohibeat,  
quae creaturearum rationalium eſſentiis, ac per-  
fectionibus obſunt, ac proinde ea tantum praecipiat, ac prohibeat, quae fieri, aut omitti ſem-  
per conduceit ad bonum commune naturae ratio-  
nalism nec demum a ſuperiore abrogari yalet, aut  
contraria conſuetudine praefcribi; Primo, quia  
ſuperiorē non habet, niſi Deum, a quo non li-  
bera electione, ſed neceſſario fuit imposita. Se-  
cundo, quia nec conſuetudo ab hominibus in-  
troducta poteſt praeualere contra ius diuinum,  
& naturale: firmiſſime igitur tenendum eſt, le-  
gem naturalem mutari haud poſſe.

IV. Quamuis proinde liberum erat Deo ho-  
minem creare, vel non creare, facto tamen de-  
creto iſum condendi, in eius non amplius fuit  
arbitrio aliam, quam hanc iſam naturae legem,  
quae hominis naturae eſt conuenientiſſima, fe-  
rendi, eamque conſtanter, & immutabiliter praetendendi; Deus enim, qui in infinita ſua ratione,

ac

ac sapientia rerum omnium essentias id est suis archetypis perfecte correspondentes habuit, inter quas natura hominis repraesentabatur ratione praedita, & immutabilis ordinis conseruandi capax, aliam plane legem constituere nequit, quam qua ordo naturalis promoueretur, seruareturque, nec illam immutare vñquam potest, nisi ordinem ipsum destruere vellet, quod suae vtique sapientiae esset in praeiudicium. Praecclare in hanc rem scribit S. Thomas (b) dicendum; quod, sicut Apostolus dicit ad Tim. 2. Deus fidelis permanet, negare se ipsum non potest: negaret autem se ipsum, si ordinem suae iustitiae auferret, quum ipse sit sua iustitia, & ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini non liceat non ordinare se babere ad Deum, vel non subdi ordini iustitiae eius, etiam in his, secundum quae homines adiuvicem ordinantur.

V. Ex his vero etiam sequitur, legem naturalem, quae omnia ordinatissima esse iubet, neque pati aliquam dispensationem diuinam, quum neque Deus efficere possit, ut illud sit licitum, quod est inordinatum. Apertissime id docet S. P.

Aut-

(b) Quaest. 100. Art. 8. ad 2.

Augustinus: (c) quum haec sit una lex, inquit, nempe naturalis, ex qua illae omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ista variari nullo modo potest? intelligo, omnino non posse. Neque enim illa vis, illus casus, illa rerum labes unquam effecerit, ut iustum non sit, omnia esse ordinatissima. Ratio etiam in promptu est; nam Deus nec bonus esset, nec summe iustus, si licitum ficeret, quod est inordinatum, & ex natura sua malum.

VI. Ceterum, quae heic obiectant aduersarii, notissima sunt, nec tamen ullius verae, & propriae dispensationis argumenta. Imprimis aiunt, Deum dispensasse in lege naturali, quando Abraham praeceptum iniunxit occidendi, ac in holocaustum immolandi filium suum innocentissimum Isaac. At nullius sane in praesenti facto occurrit dispensationis vestigium; quamuis enim hominem occidere, & quidem innocentem, sumum nefas foret, iurisque naturae apicibus maxime difforme, si propria id fieret auctoritate, vitam tamen admtere, in quem eiusdem potestas a Deo facta est, id minime huic iuri obesse

po-

potest; certum enim est, Dominum Deum longe excelsiorem habere potestatem, quam singulas creaturas: quum igitur sit omnium, ac vitae, necisque Dominus potentissimus, propriam quoque, quam & in innocentem habet, potestatem committere alteri potest, quod est alterius etiam cuiusuis Principis. *Quapropter*, merito cum Augustino dicere debemus, (d) *si in occidente filio spontaneus motus exsecrabilis, Deo autem iubente obsecundans famulatus non solum inculpabilis, verum etiam laudabilis inuenitur.* Imo vero, et si contra patris naturalem instinctum sit, in proprium filium cruentas manus extendere, meriti tamen haec actio capax fuisset, & legi naturali adprime consona, quae praecipit, ut legitimi superioris mandato obtemperetur; nam, teste eodem Augustino, *intonante pracepto obediendum est, non disputandum.* (e)

VII. Ex tam obuia pariter ratione intelligitur, Israelitas absque omni culpa pretiosos Aegyptiorum thesauros abstulisse, hanc illis Deo potestatem faciente, vt, quum ipsi supremum in eas res

(d) L. XXII. contra Faustum c. 33.

(e) L. XIV. de ciuit. Dei. c. 32.

res dominium abnegari nequuerit, ipso iubente eosdem sibi vindicarent. Cur autem noluerit Deus, vt petita vasa redderentur, causam adsignat nunquam satis laudandus Augustinus, quoniam *mercedem diuturni laboris, atque operis non iniustum Deus esse voluit.* (f) Atque insuper, vt citato libro contra Faustum scribit, (g) quia Aegyptii erant sacrilegi, & iniqui, auro illo ad Creatoris iniuriam ad cultum idolorum vtentates.

VIII. Nimiùs forem, si singula, quae nobis in hac parte obtruduntur, scripturae exempla vellem in examen vocare; vnum, alterumque tamen praetereundum non est. Nam aiunt, dispensasse Deum, vt matrimonium, cuius vinculum naturali lege est indissoluble, dato repudiil libello dirimeretur: Oseae etiam praecepit, vt vaderet, sumeretque sibi vxorem fornicariam. Verum haec, aliaque nullius sunt roboris; dare enim libellum repudii non est soluere matrimonium quoad vinculum, sed quoad thorum, quum tales vxores, superstite adhuc marito, ad nouum coniugium transire haud permitterentur; ideo

(f) Quaest. 53. (g) c. 71.

ideo autem concedente Mose dari libellum repudii licebat, vt maiora praepedirentur mala. Oseas deinde Propheta praecepto Domini obediens, quum ipse sit matrimonii institutor, ad fornicariam accessit, sed eam sibi in coniugem copulauit, quod docet S. Pater, (h) *quid enim aduersum clementiae veritatis, quid inimicum fidei christianaæ, si meretrix relicta fornicatione in castum connubium commutatur?* Angelicus etiam adiungit: (i) Osee accedens ad vxorem fornicariam, vel mulierem adulteram non est moechatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quae sua erat secundum mandatum diuinum.

(h) L. XXII. contra Faustum. c. 80.

(i) 2. 2. q. 100. art. 8. ad 3.



SEC.

# SECTIO QUINTA.

DE

## SANCTIONE LEGIS NATURALIS.

### §. I.

#### De sanctione Legis naturae pro vita praesenti.

##### I.

In §. VI. sectionis primæ, postquam de Legis conditionibus sicut pertractatum, simul etiam monitum fecimus, præcipuam Legis adhesionem, seu partem, ut vocant, secundariam esse illius *sancctionem*, qua lex ipsa veluti firmari concipitur, atque strictam inducere obligacionem, non ea præcise de causa, quod aliquid *præcipiat*, aut *probibent*, sed quod ipse insuper legislator poenam in transgressores comminetur, vel subinde etiam præmium obedientibus decernat. Quapropter quaestio, heic mouenda ita se habet: num lex naturalis coniunctam sibi habeat *sancctionem*, eaque vel ad *praesentem*, vel ad *futuram* solum, vel ad *utramque simul vitam*

L

per-

pertineat ? vnum post aliud examinabimus, idque tantum, vt lumine naturali omnibus detegitur ; nam, quod diuinam adtinet reuelationem, de ea dubitare haud licet, ipso supremo Judice nostro Deo apud Esaiam (a) legis suae praeuaricatoribus grauissimum aeterni ignis suppli-  
cium comminante : *vermis eorum non morietur,*  
*& ignis eorum non extinguetur.* \*

II. Religionis derisores & legem Dei aeternam, & illius tum pro praesenti, tum pro exspectanda vita sanctionem nedum explodere, verum etiam veluti rem frustraneam, ac Deo indignam ludibrio habere haud verentur. Existimant nimirum, quod, si virtuti merces aliqua, ac praemium esset destinatum, aut vitio suppli-  
cium propositum, id, quamdiu homines in hoc mundo versantur, visibiliter ad oculum exhiben-  
dum

(a) c. 66. ¶. 24.

\* Non raro etiam, vt sacrae aequae, ac profanae testantur historiae, quae proemia iustis, quaeque suppicia iniustis deputarit, ostendit Deus e. g. ex diluvio, suffocante impios, eripiendo iustum Noemi familiam ab igne, de coelo depluo, ac libidinofos sodomitias deuorante, liberando Lothi domum &c.

dum foret: nihil vero eo minus contingere iactant, quum mali aeque, ac boni communibus mundi malis, ac incommodis sint obnoxii; imo virtutibus dediti plerumque magis, quam impii, qui bonis omnibus adfluunt, dum illi nonnisi in maximis aerumnis, & egestate afflictam, miserimamque vitam viuant; quumque insuper animae immortalitatem pro fabula, aut pro re saltem incertissima habeant, neque quid pro futura vita sit pertimescendum, se scire vlo modo posse, arbitrantur.

III. At sua tamen virtuti praemia, sceleribusque supplicia in praesentis praeprimis vitae curiculo esse firmata, dubitari nequit. Experiens consulamus, quae docet, hominem virtute praeditum, ac conformiter ad leges naturae viuentem animum praeferre bene sibi conscientium, tranquillum, atque serenum; non modicam pariter concipere voluptatem, ac gaudium, ortum ex conscientiae securitate, quodque omni alteri terrenae felicitati praeponderat. Vnde Plutarchus de eadem animi tranquillitate ait, Cruferio interprete: *quocirca neque teēta sumptuosa, neque auri vis, nec natalium claritas, neque moles imperii, neque facundiae lepos, neque eloquentiae*

*acrimonia serenitatem, & tranquillitatem vitae praefstat tantam, quantam a factis animus, & consiliis tetris purus, qui vitae babet fontem, mentem placidam, atque impollutam, ex qua honestae emanant actiones.*

IV. Sed neque animus tantum iusti hominis summa voluptate perfunditur; perspicimus enim uero, plura etiam bona externa, & quae ipsum quoque corpus adficiunt, ex virtutis custodia obuenire; ii namque virtutis sunt fructus, ut aliorum nobis aestimationem, benevolentiam, & fiduciam, & amorem nobis conciliet, atque securitatem, familiarum tranquillitatem, communatum prosperitatem, commercii emolumenta, ac denique bona quaque suppeditet. Finetti (b) nonne vero etiam temperantiae studiosus vires corporis conseruat, sanitatem roborat, vitam prolongat? & ista quis neget virtutis esse praemia, huic vitae competentia, quae ipsam utique felicitatem nostram naturalem, & perfectionem temporalem efficiunt.

V. Quum vero tot bona, tantaque praemia ex legum naturalium obseruantia proueniant, dubium

(b) Princ. L. VI. c. 3.

biūm esse non potest, quin earum contemptori-  
bus innumera vicissim mala , tanquam totidem  
poenae immineant ; ac primo quidem homines  
scelerati diros in conscientia sua persentiscunt sti-  
mulos, quibus vehementissime cruciantur ; nam,  
ut denuò ait Plutarchus : *malefactorum consci-  
entia, veluti ulcus in carne, in animo poenitentiam  
relinquit pungentem subinde, atque sauciantem.*  
Quis dein in ipsa societate odio omnium est ita  
expositus, quam vitiis deditus ? cui maior est  
corporis molestia, morborum adflictio, familiae  
confusio &c. quam homini erga Deum ingrato,  
& legis, a se latae, violatori ? ita nempe & pro-  
prium vitiis supplicium est, lexque ipsa naturae  
sanctione pro vita hac praesenti haud caret.

V!. Ut igitur Libertinorum objectionibus fa-  
tisfaciamus, distingui oportet duplicitis generis  
bona : alia virtuti sunt *intrinseca*, quae nunquam  
ab ea separari queunt ; alia vero *extrinseca* tan-  
tum, quae variis ex causis oriri possunt. Priora  
semper obtinet, quicunque legis est custos ; quis-  
quis enim rectum ordinem se obseruasse noscit,  
gaudio quodam interno adficitur, pace fruitur,  
atque, si fortunae bonis expoliatur, ab ipsa ta-  
men virtute vires obtinet ad haec mala, sinc-

molestia, & facilius toleranda. Hinc in quo-  
cunque etiam miserrimo vitae statu virtus non  
parum gaudii, & voluptatis administrat. Bona  
porro cetera, quae extrinseca diximus, hoc ipso,  
quod ex variis causis ortum ducant, nec imme-  
diate ex virtute proueniant, malis pariter, & bo-  
nis esse communia queunt. Nec tamen dicen-  
dum est, iustum haud habere proemium, si his  
bonis priuetur; nam, teste S. P. Augustino, (c)  
*virtutes, quibus recte viuitur, magna bona sunt;*  
*species autem quorumlibet corporum, sine quibus*  
*recte viui potest, minima bona sunt.* Insuper,  
quia haec bona temporalia hominem nonnisi ad  
speciem beatum efficere queunt, sed intus ple-  
rumque sunt plena inquietudine, dolore, & ama-  
ritudine, sanctionis partem haud constituunt,  
sed munificentissima tantum Dei manu quibus-  
cunque possunt impendi.

VII. Verum inquiunt, & vitia habere suas vo-  
luptates, nec impium semper in conscientia tor-  
queri; quo magis enim facinorosi sunt homines,  
eo minores, paucioresque sentiunt in animo acu-  
leos. Et quid? si internis etiam conscientiae

con-

(c) L. II. de lib. arbit. c. 4.

conflictibus exagitentur, non tamen violatae legis poenae dicendae sunt, sed internus animi motus, quo iniusta desideria coerceantur: igitur ex his pro sanctione legis nihil inferri debet.

VIII. Respondeatur ad primum, has voluptates esse admodum transeuntes, bonaque tantum adparentia, quae, postquam se in impii animum ingesserunt, maiora relinquunt mala, horrorem, ac toedium, quod ne impurissimus quidem inficias ibit; credibile enim haud est, hominem, quamvis obduratum, nullos vñquam habere conscientiae stimulos, quibus ob malefacta sua compungitur; sperni siquidem hi animi tortores queunt, minime tamen ex corde ita depelli, vt omnis vltierior aditus p̄aecludatur. Sumamus in huius rei exemplum hominem iniustum, raptorem, alios vexantem, aut obprimentem: plurimum certe si bi timere talis debet, ne pares vices ipsi alii homines rependant; heinc enascentur curae, anxietates, suspiciones, aliaque hulusmodi, quibus interna animae pax, & tranquillitas deperditur, ac frustra recuperatur. Sumamus & hominem voluptuosum, quantum plerumque animi tristitia obplētur, quantum ex vultus pallore concidit? quantas etiam in vincendo amore molestias sus-

ferre, &, si spe deiiciatur, dolores subprimere, aut, si illico complexu petitus est, aliorum indignationem eum timere oportet ? ita poenas has esse violati naturae iuris vel inuitus adfirmare debebit, non medium ad coercendas libidines ; ideo enim homo impius interne adfligitur, aut quia adpetitum beatitudinis suae satiare non potest, aut quia commissae turpitudinis recordatione percellitur.

## §. II.

### Sanctio pro vita praesenti vera est, minus tamen perfecta,

#### I.

**Q**uamuis, quae modo dicta sunt, veram pro hac vita euincant aeternae legis sanctiōnem ; eam tamen non omni ex parte perfectam esse, facile constabit consideranti, quod boni non raro vitam ducant inter maximas miserias, & aduersitates, dum interea commodis omnibus, sola animi tranquillitate excepta, maligni perfriuntur.

#### II. Per-

II. Perfecta itaque ut sit sanctio, requiritur, ut perpetuo, atque constanter hominem ob felicitatis, ac proemii amorem, aut timorem poenae ad legis obseruantiam facilius, ac certo commoueat; id vero fieri haud posse censendum est, nisi semper virtuti praemium, ac sceleri supplicium, ac quidem longe maius, quam sit ipsa virtus, aut impietas, respondeat. quod si porro sanctionem quoad vitam hanc mortalem spectemus, tantae perfectionis haud est; nam mala illa, publicaeque calamitates, quae perpetratam iniquitatem sequuntur, honos aequi, ac malos affligunt; imo virtus, quamvis internum aliquod progeneret gaudium, malorum tamen odium excitat, & ad sui persequitionem adlicit. Ita enim uero, qui virtutibus sunt dediti, non raro a malis obprimuntur, impetuntur calumniis, exilio multantur, ac ipsa morte aliquando puniuntur: mali econtra diurna fruuntur valetudine, opibus, & bonis omnibus abundant; igitur, et si ad felicitatem magis conferat virtus, quam vitium, nihilominus tamen in hac vita mortali non semper sufficiens, ac virtutem, aut vitium adaequans praemium, ac supplicium rependitur, proindeque nec sanctio legis naturalis pro vita praesenti satis est perfecta.

III. Ex-

III. Exinde consequens est, illos minime consulere legi naturali, qui illius sanctionem tantummodo naturalem, & ad tempus, quamdiu videlicet viuimus, perdurablem esse volunt; talis siquidem sanctio stricte, serioque haud obligat; quis enim amplius erit virtutis aestimator, si internam quidem aliquam voluptatem se percipere ex illius amplexu cognoscat, exterius tamen grauissimis calamitatibus se obiciendum insimul haud ignoret, nisi certus sit, ad compensanda haec mala, ac detrimenta plurima, quae ex virtutis exercitio emanant, superesse aliud praemium, quod in altera vita sit retribuendum? aut quis non erit adeo malus, ut, si nil praeter haec mundi huius mala communia sit pertimescendum, non illico ad quaevis bona iuhonestata capeſſenda se conuerat?

IV. Pessime proinde se gessit Bayle Libertinorum maximus, quando Atheos, & homines sine religione nec quidquam Reipublicae obesse existimauit, quod Warbourton doctus Anglus solidè demonstrauit; licet enim, inquit, concedamus, Atheos cognoscere distinctionem virtutis, & vitii, cum fundatas in rerum natura, & licet cognoscant, dignum esse creatura rationali, se conformare rectae rationi; hoc tamen cognitio-

Digitized by Google

*nes vim non habebunt super eos, quia Attheus nullo modo se obligatum iudicabit, ut secundum rationem agat.* Primo, quia obligatio necessario subponit aliquod Ens, quod obligat, distinctum ab eo, quod obligatur. Secundo, quia obligatio subponit legem, quae praecepit, & prohibet; lex autem non potest imposta esse, nisi ab Ente intelligente, & superiore, quod ius habet obseruantiam exigendi. (a)

V. Nec ideo tantum Atheos, & homines irreligiosos nulla lege naturali teneri, dicendum est, quia nec Deum admittunt, nec legem, nec religionem, sed insuper, quia nec sanctio aliqua, nec vis ad eosdem obligandos coactiva ipsis est; nam, quod inquit Bayle: *Attheus potest se credere obligatum ad se conformandum ideis rectae rationis, ceu ad regulam boni moralis,* ex ipsius quidem systemate est falsissimum; nam qui posset aliquis certissime, inquit Cl. P. Iord. Simon, (b) *sub hac obligatione intelligere obligationem, quae sit unita alicui vi concretiae, quae nascatur ex ipsa lege, a superiore imposta, & ob-*

(a) *De diuina missione Mosis.*

(b) *L. cit. Sect. VI. §. 5.*

*obseruantiam exigente, quum Attheus haec omnia  
neget, & rident? igitur, quum & legis notio,  
& ipsa etiam illius sanctio ex sola religione di-  
gnoscatur, Atheum minime obstrictum esse ad  
rationis ductum sequendum, est evidentissimum.*

### §. III.

**Sanctio pro vita futura est  
perfectissima.**

#### I.

*Quum Deus curet actiones, iustusque sit, ait  
magnus Hugo Grotius, (a) & ita inte-  
rim fiant, exspectandum est aliquod post hanc vi-  
tam iudicium, ne aut insignis improbitas sine poe-  
na, aut magna virtus sine solatio, proemioque  
maneat: hoc est, quod nos dicimus, legis na-  
turalis sanctionem perfectissimam post mortem  
ab aeterno decretam esse.*

**II. Vt sanctionis huius existentia, & necessitas  
demonstretur, opus praeprimis foret, ipsam etiam  
ani-**

(a) L. I. de veritate relig. Christ. 621. ut in critico-  
sum SS. Tom. VII. continetur.

animae immortalitatem argumentis evidentibus ostendere; hoc autem Philosophorum curis relinquimus. Sufficiat nobis, quod ait idem Grotius ibidem, hanc de animae immortalitate traditionem esse omnium populorum, quae in re grauiissima fallere nescit. Inquit enim: (b) *haec antiquissima traditio a primis (vnde enim alioquin?) parentibus ad populos moratores pene omnes manauit, ut ex Homeri carminibus adparret, & ex Philosophis non Graecorum tantum, sed & Gallorum veterum, quos Druidas vocabant, & Indorum, quos Brachmannes, & ex iis, quae de Aegyptiis, & Thracibus, quin & Germanis scriptores plurimi prodiderunt. Quin & de iudicio diuino post hanc vitam plurima existisse videmus non apud Graecos tantum, sed & apud Aegyptios, & Indos, ut nos Strabo, Diogenes, Laertius, Plutarchus docent. Quibus addi potest traditio de mundo hoc conflagrato, quae olim apud Hystaspem, & Sibyllas, nunc quoque apud Ouidium, & Lucanum, & Indos Siameses reperitur: cuius rei indicium & Astrologis notatum sol ad terras proprias accedens, etiam quum*

*quum in Canarias, Americam, & alia longinqua primum ventum est, reperta ibi quoque eadem de animis, & iudicio sententia.*

III. Si igitur certum est, animam post hanc vitam manere superstitem, firmissime pariter tenendum, dari quamdam legis naturalis sanctio nem, qua iustis proemia, iniustis supplicia post hanc vitam deputantur ; supremo enim Legislatori conuenit, vt, quidquid suae legis sanctioni in hac vita deest, subpletat in altera ; secus suam perfectionem nunquam adipisceretur, quam tamen vt habeat, & summa exigit Numinis nostri *bonitas*, & *iustitia*, qua vti Deus vult strictam legis suae obseruantiam, ab hominibus vniuersim praestandam, ita non minus ad virtutis merita praemianda, aut vitiorum demerita ex condigno punienda, est comparatus.

IV. Rursum, si animus noster est immortalis, ocyus, ac ex corpore egreditur, mutationem quoad statum suum subire debet, qui aut melior erit, aut peior ; huiusmodi autem mutationis in melius, aut peius ratio vlla sufficiens adsignari nequit, nisi virtus, aut vitium, quorum alterutrum quis in hac vita commisit : erit igitur in altera vita virtuti proemium, sceleri supplicium.

V. In-

V. Insuper nisi esset in altera vita quoddam operum nostrorum iudicium, ac retributio, palam sequeretur, neque Deum serio velle, ut leges, a se latas, custodiamus; non enim serio quisque aliquid velle censetur, qui eius exsequutionem optimo, quo potest, modo non urget; id autem plane contingere, ni legis huius sanctio post hanc vitam potissimum valeret, quia sic impune peccaret, quisque, dum viuit, voluptatibus deditus summa pariter bonorum adfluentia turgebat.

VI. Si dicas, Deum iure denegare posse proximum, & iniusto parcere, nihil hac ratione probas; nam neque Princeps legis suae obseruantiam satis curare dicendus foret, si subditum obedientem simul, ac contumacem legis transgressorem pari affectu prosequeretur.

VII. Praeterea heic insignis etiam error confutandus venit eorum, qui cum Auctore *codicis naturae* censem, ideam Entis infinite perfecti, infiniteque boni excludere omnem ideam Entis, vindictam amantis; nam Primo, ut quidem existimant, Deus actionibus nostris malis offendinequit, quia sic aliquid imperfectionis in ipsum caderet. Secundo: tales actiones nequaquam con-

contra eius sunt voluntatem ; secus impedire debet, nec vlo modo admittere ; quum vero nec impedit, sed vltro etiam eas fieri permitat, summae bonitati repugnaret, Deum crudeliores torquendi exercitio oblectari.

VIII. Nihil aliud plane reponi debet tam specioso argumento, quam Auctorem *codicis naturae* minime penetrasse, ac expendisse ideas Entis perfectissimi, ac summe boni ; Ens siquidem perfectissimum ex eo esse concipitur, quod ordinem, a summa sapientia constitutum, custodiat, ab iisque obseruari faciat, quibus est impositus : bonitas vero in Deo haud esset, si eodem modo tam, qui hunc ordinem conseruant, quam, qui illum neglexerunt, tractarentur ; igitur neque idea Entis perfectissimi, & optimi subsisteret, nisi cum idea Entis, vindictam sumentis, coniungeretur. Quamuis proinde verum sit, Deum haudquaquam ita offendti actionibus nostris malis, vt exinde molestiam aliquam, aut animi moerorem concipiatur, quod quidem imperfectionis esset signum ; reapse tamen offenditur grauissime, quatenus hae actiones ordinem sapientissimum inuertunt, & legem aeternam, incommutabilemque violant, quo fit, vt summa ei-

in-

iniuria inferatur, & homo rebellis contra diuina mandata adsurgat. Heinc vero aequa falsum est, tales actiones haud esse contra diuinam voluntatem, quae ipsas summe exsecratur; sed tamen permittit, vt, recto ordine constituto, libertatem haud adimat. Falsum similiter est, Deum crudeli reos torquendi exercitio oblectari; non enim, quod sceleratos puniat, aut ex passionē aliqua, ac crudelitate, aut ex complacentia de miserorum aerumnis, & cruciatibus venit, sed ex summo ordine, vindictam exigente.

## §. IV.

### Soluuntur Libertinorum sophismata contra stabilitam legis aeternae sanctionem.

#### I.

**Q**uidquid contra leges naturales moliuntur Libertini, omni potissimum contentione in id dirigitur, vt veluti fabulosam euincant sanctionem pro vita futura; praeterquam enim, quod animae immortalitatem negent, pernegerintque,

M

ratio-

rationibus quoque plurimis ipsam operum nostrorum retributionem, post hanc vitam faciendam, impugnant.

II. Primo dicunt, quidquid pro tali sanctione adferri potest, probabilitatis quidem fines haud excedere, certitudinis vero, Philosophum conuincens, nihil omnino habere, imo vero frustaneas esse poenas post hanc vitam, ac contra Legislatoris animum, quod, teste Platone, (a) & Seneca (b) certum sit, *Prudentum neminem punire, ideo, quia peccatum est, sed, ne peccetur, id est, vt & peccatores ipsi, & qui puniri iniqüitates viderunt, iniustitiam oderint, aut saltem minus in simili vitio peccent.* Ad quid igitur supplicia post mortem, quum nemo amplius peccet?

III. Ostendimus, hanc sanctionem diuinis perfectionibus & ordini sapientissimo exacte conuenire, nec ullo modo ab eo abstrahi posse, quin summam Dei bonitatem pessimumdemus: certi igitur sumus, dari praedictam sanctionem. Sed quid demum euincere volunt legis naturae osores,

(a) L. XI. de Legibus. (b) L. I. de ira.

res, quum aeque certum sit, eos ne quidem argumentis sat probabilibus, sed meris figmentis, ingeniosisque captionibus rem agere ? illud sane mirandum, hos homines Platonis, & Senecae verbis adeo abuti. Vterque loquitur de Legislatoribus politicis, quorum finis est, vt poenae ad Ciuum inferuant correctionem ; nihilominus tamen, si aliqui sint nimium peruvicaces, morte plecti & Plato, & Seneca iubet, quos ideo puniri, vt emendentur, summe ridiculum foret adferere. Si necdum adquiescant detestandi sophistae, dicemus, etiam Deum pro vita futura statuere poenas aeternas, vt ad multorum quoque correctionem inferuant.

**IV.** Sed regerunt, nullum profecto sperari posse proemium, si nullum datur meritum ; meritum autem non esse, exinde patet, quia, quidcumque Deo praestamus, illi etiam plane debemus : imo, et si forte virtuti quid insit meriti, aut vitio demeriti, virtus sibi ipsa sufficiens est proemium, & vitium sibi est poena. Nec quidquam prohibet dicere, tam merito, quam demerito condignam rependi mercedem in hac vita ; virtus siquidem sufficienter compensatur tranquillitate animi, interno gaudio, aliorum aestimatione &c.

vitium vero animi cruciatu, & dolore, aliorum contemptu, ignominia &c.

V. Responsio est : si virtus nullum haberet meritum, faltem vitio inesset maximum demeritum, quia illud faciendo, quod Deo stricte debemus, haudquaquam praestamus ; igitur etiam poena in futura vita erit exspectanda. Sed neque virtuti deest meritum ; quamuis enim ad eam obligetur creatura rationalis, libere tamen illius exercitio adsuefecit, & hoc ipso ex omnium sensu est laude, ac proemio dignissima ; se ipsam vero satis proemiare nequit, nec vitium sibi esse poena sufficiens, quum plerunque virtus in hac vita plus habeat difficultatis, ac miseriae, quam emolumenti, vitium econtra plus commodi, quam afflictionis, adeoque etiam, quum sanctio legis naturalis pro hac vita ex integro non sit perfecta, perfectissimam statuendam esse oportet pro vita futura.

VI. Arguunt vterius : si ad diuinias perfectiones, ordinemque naturalem pertineret culpas punire, quamprimum homines in peccatum prolabuntur, Deus etiam illico iustissimam, quae perfectissima legis sanctione decreta est, poenam

de-

deberet infligere : nequaquam ; Deus enim non minus bonus est, ac iustus ; vnde licet sit iustissimus, opus tamen non est, vt posito peccato statim rependatur poena ; sed tantum, vt, qui in culpa obduratur, iustum Dei iudicium haud effugiat ; alias nec bonitas cum iustitia perfecta conciliari posset. Verbo id explicamus ex Augustino (c) dicente : *misericordiae modo tempus est ; iudicii tempus post erit.*

VII. Aiunt demum, nullum habere veras ideas diuinorum adtributorum, nec ea ponderare posse ad instar perfectionum humanarum ; quum igitur ex principiis iustitiae, sanctitatis, & sapientiae humanae de Deo pariter iudicare quis vellet, procul dubio, vt inquit Auctor libri gallice conscripti *de natura*, (d) is incidit in quemdam antropomorphisum, subtiliorem quidem altero, sed aeque etiam magis perniciosum.

VIII. Vérum, quamuis diuina adtributa pro sua dignitate, & excellentia, vt sunt in se, haud comprehendamus, hoc tamen certissime cognoscimus, Deum esse iustissimum, sanctissimum, satis plen-

(c) In ps. 32. (d) part. I, c. 3.

pientissimum, ac omnibus demum perfectionibus essentialiter constare. Si porro Deum ita consideramus, nec latere nos potest, Deum sapientia sua omnia ordinate disponere, illius sanctitatem obpositam esse vitiis, iustitiam pro cuiusvis meritis digna retribuere. Atque proinde nec *anthropomorphismus*, a recenti Auctore iactatus, timendus erit; siquidem verissime & Deo perfectiones humanas tribuere possumus, demptis tamen imperfectionibus, quibus ille minime adficitur. Imo vero aliter concipere Deum nequimus, quam quod in gradu quodam eminentissimo omnes suarum creaturarum perfectiones possideat. Quocunque igitur humana impietas artificio contra futurum iudicium, metuendasque aeternas poenas sese muniat, illas tamen effugere minime poterit; verissima quippe sententia est christiani Philosophi Lactantii: (e) *in publica omnium resurrectione excitari iniustos ad cruciatus sempiternos.*

(e) L. VII. diu. iustit. c. 26.

I. O. G. D.

# POSITIONES THEOLOGICAE.

## I.

### DE SACRA SCRIPTURA.

1. Primam fidei, ac Religionis nostræ regulam constituit S. Scriptura. 2. diuiditur in V. & N. Testamentum, quorum posterius nec quoad credenda, nec quoad agenda priori praeiudicat, praecepta ceremonialia, politicaque si excipiāntur. 3. Libri canonici utriusque instrumenti vniuersim septuaginta duo numerantur iuxta ordinem in Concil. Trid. sess. IV. statutum. 4 Verba, sententiae quæ in S. hisce Codicibus obuenientes quamvis saepenumero sint clarissimæ; longe plura tamen ibidem continentur, quae sunt obscurissimæ. 5 in his igitur legitima interpretatione opus habemus. 6. eam cum haereticis a spiritu cuiusuis priuato exigere haud licet. 7. sensus quoque alius est litteralis, alius μυστικος. 8. quum praeterea lingua primigenia V. T. potissimum sit hebraica, N. vero graeca, verbumque diuinum 9. in fontibus adhuc purum lateat, Vulgata econtra 10. textum originarium ex integro adaequare haud videatur; heinc 11 non absque summa utilitate erit in euoluendis scripturae difficultatibus ad fontes, & alias etiam versiones recurrere. 12. Falsum omnino est, Vulgatam nostram fontibus aequa, ac ceteris omnibus versionibus in Concil. Trid. prælatam fuisse.

• Variare quandoque etiam lectiones in fontibus,  
negari haud potest, quod de hebraicis manifeste  
colligitur ex Moysoretharum notis קרי וכתיב. sed  
ne hoc quidem posito, latina Vulgata iisdem  
aequiparari potest.

## II.

### DE SACRIS TRADITIONIBUS.

1. Praeter verbum Dei scriptum necessario  
etiam admitti debet traditum. 2 hoc,  
si vere sit diuinum, eandem cum scriptura au-  
toritatem habet. 3 inter humanas porro tra-  
ditiones maximam merentur reuerentiam Apo-  
stolicae. 4. nec temere etiam quodlibet tra-  
ditionis genus fidelibus obtrudendum; sed  
multa, ut verae a falsis, ac dubiis dignoscantur,  
cautela adhibenda est. 5. Testes integer-  
rimi traditionum SS. Ecclesiae Patres audiunt,  
quorum 6. unanimis in rebus fidei, & morum  
consensus infallibilem pariter obtinet auto-  
ritatem.

## III.

### DE ECCLESIA.

1. Ecclesia tam verbi scripti, quam traditi-  
onis interpres est, ac Judex infallibilis. 2.  
haec sola proinde canonem scripturae deter-  
minare potuit. 3. Christus dominus illam in-  
stituit, ut societatem inaequalem, in qua di-  
uersi essent ordines hierarchici. 4. praecipui.  
Rectores constituti sunt Apostoli, quibus ta-  
men 5. ob unitatis vinculum conseruandum  
Petrus ut Caput praefectus est. 6. haec ipsa  
praerogativa in Petro, & Apostolis extingta  
haud

haud fuit; sed ad successores tum Rom. Pontifices, tum reliquos Episcopos transiuit. 7. Rom. Pontifici non solum primatus honoris, & auctoritatis, sed etiam iurisdictionis competit; non tamen propterea 8. Monarcham agere potest, nec Episcopos, yt suos tantum Vicarios habere, quibus 9. sua vtique potestas, & iurisdictionio immediate a Christo fuit collata. 10. Concilia conuocare, iisdemque praesidere jure ordinario ad Rom. pertinet Pontificem. 11. si fint legitime Oecumenica, in materia fidei, & morum infallibilis sunt auctoritatis. 12. quidquid vero Ecclesia vniuersa etiam extra Concilia credendum, agendumque praecipit, pars est roboris.

#### IV.

#### DE DEO VNO, AC TRINO.

1. Existere Deum, & 2 vnum esse euidenter constat. 3. diuina essentia vix per magis idoneum exprimitur vocabulum, quam per illud τετραγενεματον: θεον\*, aut per יהוה שׁאֵר אֱלֹהִים, Exod. 3<sup>rd</sup>. 4 errant, qui Enos Polytheismi Auctorēm esse volunt \*\*. 5. sicut Deus omnis corporeae molis expers; ita 6. per suam immensitatem est ubique. 7. intellectus creatus, superno lumine irradiatus, potest ipsum, vt in se est, videre; non tamen 8. comprehendere. 9. Mosi, aliisque non Deus, sed Angelus in hac vita adparuit \*\*\*. 10. Visio beatifica nec ad minimum tempus animabus purgatis differtur; vnde 11. fictitium est regnum Chiliastrarum. 12. datur in Deo plenitudo om-

nis scientiae, quacum 13. humana libertas perfecte subsistit. 14. vtut vero omnes homines serio vult saluos fieri, quosdam tamen 15. ad gratiam, & gloriam prorsus gratuito praedestinavit: sicut alios 16. ob praeuisum peccatum originale in massa damnationis reliquit, 17. genuinus est versiculus septimus I. Joan. c. 5, ex quo, aliisque 18. N. T. locis inuicte monstratur sanctissimae Trinitatis μυστηγον. 19. qui illud in בָּרוּ אֱלֹהֵינוּ Gen. I. v. 1., constructione videlicet verbi in singulari cum nomine in plurali significatum fuisse arbitrantur, infirma admodum nituntur conjectura \*\*\*.  
20. vocabulum ομορφιον recte a synodo Nicaena contra Arianos symbolo fuit additum.

\* Sanctissimum nomen יהָה secundum litteras suas legendum haud esse; sed substitui debere vocem יְהָוָה, aut in huius concursu אלהִים, iudaicam redolet superstitionem. Alia excellenter Dei nomina in unum collecta inuenire est apud S. Hieronymum ad Marcellam ep. de mysticis Dei nominibus. sunt autem haec præcipue: אלהִים. יהָה. יְהָוָה. צבאות אל.

\*\* Textus hebraicus ita habet Gen. IV. 26. וְאַתֶּלֶךְ לְקַרְאָ בְּשָׁם יְהָוָה. quem frustra de profanatione diuini nominis accipit Maimonides; siquidem aliter explicari non debet, quam, vt Vulgata habet.

\*\*\* Dum Moses Exod. 33. v. 13. Deum precatus est, vt faciem suam sibi ostenderet, quemadmodum legit Vulgata, fons longe aliter habet: תְּרוּמָה נָא אֶת־דָּרְכָּךְ id est: ostende mihi, quaeso, viam tuam.

vocabulum מִזְבֵּחַ superflue in scripturā usurpatur de re vnica; imo Moses etiam Exod. 16. dicitur Pharaoni fuisse לְאֱלֹהִים, in Deum.

## V.

### DE SANCTIS ECCLESIAE SACRAMENTIS.

1. Nec plura, nec pauciora, quam septem, a Christo instituta fuisse sacramenta, catholica veritas est. 2. Pedum lotionem ab S. Bernardo sacramentis adnumeratam fuisse, a veritate prorsus alienum. 3. materiam, & formam sacramentorum alterare Ecclesiae nullatenus licet, nisi quoad solas duntaxat ceremonias, & ritus. 4. formula conditionata quamuis ante saec. VIII. nunquam usuuenisse sciatur, veritatem sacramenti haud tollit. 5. delirant haeretici, qui formam nil aliud esse credunt, quam κατηχησιν. 6. effectus sacramentorum praecipuus est gratia, eaque 7. in noua lege ex opere operato producitur. 8. tria sunt etiam sacramenta, quae imprimunt τὴν σφραγίδα ἀγίαν, ακαταλύτην, & propterea 9. iterari nequeunt. 10. ceremoniae, & ritus antiquitate gaudent, nec symbolis carent. 11. si quosdam Ecclesia successu temporum addidit, prudenter se gescit, & iure suo nequam abusa fuit. 12. Baptismus (vox graeca από τοῦ βαπτίζειν) ablutionem profana, sacramentum regenerationis per aquam in verbo ad Ephes. V. 26. sacra dictione significat, quod omnibus hominibus est absolute necessarium. 13. materia eiusdem est aqua tantum natura-

lis. 14. formulam Graecorum\* enuntiatuam  
esse, & a nostra haud differre, pro certo ha-  
bemus. 15. irrita foret forma absque expre-  
sa Trinitatis inuocatione; vnde 16. nec Apo-  
stolos quondam in solo Christi nomine bapti-  
zasse, arbitramur. 17. effectu plenum est ba-  
ptismi sacramentum, immersione, infusione,  
aut adspersione collatum. 18. pueri infide-  
lium inuitis parentibus baptizari non debent.  
19. Confirmatio est alterum, verumque N. L.  
sacramentum, quod inscite nimis Lutherani vo-  
cant επεξευρεσιν της εκκλησιας. 20. Corpus, &  
sanguis D. nostri Iesu Christi in sanctissima Eu-  
charistia vere continetur. 21. adorandum hoc  
fidei nostrae sacramentum in azimo \*\* est in-  
stitutum. 22. est insuper verum, ac vnicum  
N. L. sacrificium ab Malachia Propheta c. I.  
v. 11. praedictum \*\*. 23. Confessionis auric-  
ularis diuinum exstat præceptum, quod 24.  
inuiolabiliter tota retro antiquitas feruandum  
existimauit. 25. ex facto Nectarii, Poeniten-  
tiarium abrogantis, nullum haereseos suae  
praefidium capiunt haeretici. 26. quae S. Cy-  
prianus ep. 12. ad Clerum scribit, *etiam apud*  
*diaconos in absentia Presbyterorum faciendam esse*  
*exomologesin*, non de absolutione sacramentali,  
sed canonica est intelligendum. 27. sacra-  
mentum extremae vunctionis ex S. Jacobi epi-  
stola monstratur. 28. Ecclesia latina praeter  
Episcopatum septem semper numerauit ordi-  
nes, quos inter 29. solum Episcopatum, Pres-  
byteratum, & Diaconatum sacramentis adcen-  
semus. 30. Episcopi sunt iure diuino Pres-  
byteris ordine, ac dignitate superiores. 31.  
in

In ordinandis sedulo attendi debent *vocatio*, *probitas*, *scientia* &c. 32. Matrimonium in lege euangelica ad dignitatem sacramenti eleuatum fuit. 33. heine, et si Principibus, ac Magistratibus certa quaedam impedimenta statuendi facultas denegari haud valeat; id tamen iuris Ecclesiae potissimum vindicari debet. 34. vinculum matrimonii tam firmum est, ut nec adulterio dissoluatur. 35. οὐλαγματικά virilis iure naturae est vetita.

\* In Euchologio ipsorum p. 355. haec praescribitur forma: βαπτίζεται ὁ δούλος τῷ θεῷ εἰς τὸ ονόματα τῶν πατέρων, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἀγίῳ Πνευματος.

\*\* Pascha iudaicum immolandum erat luna 14. exente Mensis Nisan; ita enim praeceptum fuit Exod. 12 v. 6. אֶת־כָל־קְרֻבָּה עַד־יִשְׂרָאֵל בְּינֵי הָעָבָדִים erat autem hoc ipsum exordium azimorum. anteueruisse vero Christum, aut Judaeos anno eiusdem emortuali pascha distulisse, coniectura est tantum, cui nec distinctio Neomeniae από της συνόδου, καὶ από της Φασος, nec regulae inferire possunt לא אֲרוֹן זְלָא בָּרוֹן לא אֲרוֹן זְלָא בָּרוֹן


\*\*\* Malach. c. 1. v. 12. זְמָרָה טְמֵנָה וְעַד טְבֻוָּא נְדוּל שְׁמִינִי בְּגִוִּים וְכָל־מִקְרָם טְפָךְ מְנֻשָּׁה וְמְנֻחָה פְּתֹוחָה;

## VI.

### EX-DISSERTATIONE.

I. Existit ius naturale; quod 2. ante omnes leges ciuiles praescripsit normam honeste viuendi. 3. ius istud funditus evertunt, qui pro illius principio statuunt aut voluptatem

tem Epicuri, aut 4. utilitatem Carneadis,  
vel demum 5. Hobbesii ius omnium in omnia.  
6. status belli continui repugnat. 7. quod  
iure naturae praecipitur, veram vim legis ha-  
bet, & a consilio distingui debet. 8. eidem  
obtemperari oportet non ob solam potentiam  
Dei irresistibilem, & imbecillitatem humanam.  
9. fundamentum legum naturalium non est  
sola voluntas Dei, nec 10. socialitas huma-  
na; sed 11. ipsa sapientia diuina ordinem na-  
turalem observari iubens, perturbari vetans.  
12. leges istiusmodi aeternae sunt, & 13.  
immutabiles. 14. veram etiam sanctionem  
coniunctam habent, 15. pro hac vita quidem  
minus perfectam, perfectissimam autem post  
mortem.



dis,  
mia.  
quod  
s ha-  
idem  
ntiam  
nam.  
n est  
uma-  
n na-  
etans.  
x 13.  
onem  
uidem  
n pof

















